





IN REGV LAM MINORITARVM, ET

contra uniuerſas perditionis ſectas,
Franciſci Lamberti Auenionen.
Commentarij uerè Euangeli
ci, denuo per ipſum reco
gniti & locupletati.





*Sectarum Regni filij perditi catalo-
gum in prologo habes.*





MARTINVS

LVTHER, PIO LECTORI.



RATIAM & pacem. Vide quæso Lector charissime, quàm uerũ nimis factum sit, qđ Christus ait, Filius hominis cum uenerit, putas, fidem inueniet in terra? En tot hic Sectarum genera (ut species & indiuidua taceam) quarum quælibet, proprio furore, singularem salutis uiã, ultra & præter CHRISTVM inuenit. Quid reliquum, quæso, uel CHRISTI, uel Fidei, in terra relinquerent? Planè iocum dixeris, diluuium sub Noë fuisse, si has Cataractas, nubes & tempestates Hypocritarum spectes. Inter has tamen perditiones primum locum, multiceps illa & mul

Perniciosius est diluuiũ hypocrisis Monastices, diluuio uniuersæ terræ.

tipes, ac multicolor peſtis, Minoriticæ ſectæ merito obtinet. In qua non Franciſci exemplar nobis (ut iactant) referunt, ſed mendacijs & fucis, maiorem orbis partem ſecum perdunt, ut quando Euangelion, contra totum iſtarum Laruarum chaos, impetum facere cœpit, merito in hos primum & maximum facere debeat. Id oneris ſubijt Franciſcus Lambertus, ut qui probe eos intus & in cute noſcens, myſteria pulchre poſſit prodere, quæ magna ſui pernicie, & didicit apud eos, & nunc, miſerante Chriſto ceu extremum auriculæ ex ore lupi, ereptus eſt, ab iſtorum perditione. Lege igitur felix, ac uide CHRISTVM, non ſolum in Luthero, ſed et in multis alijs ſuis uaſis, iraſci & ulciſci ſeſe, de purpurata illa & ebria meretrice, fornicationum matre, ſimulq́; nobiſcum ora, ut quod cœpit in nobis, perficiat, Amen. VVittembergæ. 1523.

Pestis multiceps, multipes ac multicolor.

Annemun=

ANNEMVNDVS COCTVS
Eques Gallus, pio Lectori.

DOminus tecum. Tanta est diuini uerbi maiestas, ut nunquam non inuicta maneat, quantumuis magnos impetus in eam mundus faciat, etiam si pertinaciter & obstinatis animis persequantur pricipes, etiam si portæ infernæ deseuiāt, imo ea uerbi uis, quo plures persequutiones fert ac patitur, eo magis uiget, crescit atq; firmatur, quæ ut sēper insuperabilis foret, filium hominis pati & mori oportuit. Porrò iam mirum nō est (potissimū id CHRISTO prædicente) nouissimis illis tēporibus, corpus eius mysticum, quod est ECCLESIA, usq; adeo longa annorum serie solutum & demortuum fuisse, quum CHRISTVS obscuratus erat, uerbum obliteratum, Euangeliū impiorum & blasphemorum doctrinis opinionibusq; cōspurcatum & adulteratum extiterat, Interim ECCLESIA perniciosarum Legum pontificiarum scorpionibus cæsa, clauisq; plus quam ferreis, plus nimio cruci adfixa, quæ in præsens ubi reflorere, erigiq; cœpit, eā, ut olim, ita nunc opprimere ac extinguere conantur, Pontifices, Scribæ, Pharisæi, Pseudochristi illi, Sophistæ ac Monachi, sicut in Hussitis Ioanne & Hieronymo liquet, qui Cōstantiæ propter uerbum domini sūt igni absumpti, ab eisdem quoque nuper in CHRISTI martyres Bruxellis

Verbū domini manet in æternum, & non impleri, non potest.

Ecclesia inuētis hominū crucifixa.

sæuitum est, qui in finem usque libera confessione perseuerarũt, illi enim Papæ regnum diminuere uisi sunt, ideo Romana illa impiorũ & malignantium ECCLESIA illos igni exussit. Hunc igitur Romanum Lycaonem, tyrannidis suæ tuendæ gratia, apparet nihil non ausurum, omnia acturum, omnia moliturum esse. Hic sibi nomen Pontificis (quod soli CHRISTO, teste Paulo, congruebat) arrogat & usurpat, quin etiam ne quid fabulæ deesset, uetusti Gentilium flaminis Dialis instar, Põtificis maximi se titulo insigniuit, similis magno pontifici IESV, & maior impudenter esse contendit. Introcat igitur in conspectum altissimi ultio sanguinis seruorum eius, qui effusus est, ut qui conculcauit Leonem, uirulentum quoq; Draconem conterat, ad nihilumque redigat, ut maxime SERVATOREM nostrum cum sua sponsa persequi & opprimere pergat, eam lacerare, iugulare tentet, tamen neque mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neque uirtutes, neq; instantia, neque futura, neq; fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in CHRISTO IESV domino nostro. In præsentiarum autem non paucos (Dei gratia) ex illis ἀπωλέιας sectis, indies magis ac magis resipiscere conspicimus, ipsi optimo maximóque per Hieremiam his uerbis electos monenti, nimirum credentes: Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum egredimini, & estote quasi hœdi ante gregem. Quoniam ecce ego suscitabo, & adducam in

Bruxellis facti martyres sunt

Romanus Lycaon Papa.

Solus Christus Christianorum pontifex est.

Babylonem congregationem Gentium magnarum de terra Aquilonis, & præparabuntur aduersus eã, & inde capietur. In quorum numero FRANCISCVS hic noster Lambertus est, qui gnauiter quoque illud Apocalypseos implendum curat: Et qui audit, dicat ueni. Quum enim impijssimo operum pistrino, Minoritarum hypocrisis fuco deceptus, mirum in modum se addixisset, ex ea tandem (sancti spiritus fauore) labyrinthorum abysso liberatus, illorum pestilentissimos errores, hoc in libello diligenter adeo aperit & explicat, ut nec curioso Lectori quicquam desyderandum sit. Hæc est (ut idem ait Vates) uox fugientium, & eorum, qui euaserunt de terra Babylonis, ut annuncient in Sion ultionem Domini nostri, ultionem templi eius. Templum quippe DEI est fideliũ Spiritus, in quo nõ pusillum temporis homo ille peccati, Quiritum Phalaris regnans sedit. Ideóque si satellitum eius Franciscolatrarum (ut interim hoc uerbo utar) monachatúsque uniuersi abominandas fæces, plus quàm ethnicam superstitionem, ac Aegyptiorum arcana scire lubet, si portentosas sub religionis falso nomine (quum ea cultus Dei sit) peruidere nænias cordi est, hũc tibi codicillum, uel modico ære compara, penitus ut harũ imposturæ Vulpium retegantur, quæ in Samaritana urbi DEI fame, sapientiæ, quæ caput nostrum est, loco, stolidissimum id asini caput Papam ἀντίχριστον nobis immenso auri & argenti pondere uendiderunt. Parcito Lector,

Alludit fami Samariæ, de qua 4. Reg. 6.

to Lector amantissime, si Epistolæ fines excesserim; id enim innocentis effusio sanguinis, & sacerrimæ domus Dei zelus, lugubri stilo persuasit, ad quem uindicandum, utinam quàm ocyssime, Rex Regum exurgere dignetur, amen. Vale: & pro Ecclesiæ renascentis pace nobiscum ora. VVittembergæ. 1523.

Franciscus

FRANCI-

SCVS LAMBERTVS AVENIONEN. inutilis IESV Christi seruus, charissimis fratribus, uniuersis Minoritanæ institutionis professoribus, gratiam & pacem, cum necessaria ueritatis agnitione.



ATIS atq; abunde, egressus mei à uobis, rationem orbi nouissime libello proprio reddidi. Veruntamen, ut nõ absq; Dei beneplacito, me id fecisse, plenius cunctis palàm fiat, breues in regulam uestram commentarios, edere, uisum fuit esse consultum. Deceptus olim, eandem aliquoties secundum carnem interpretatus sum, Nicolai & Clementis, Antichristorum, et aliorum quorundam insulsissima adinuenta secutus. Adhuc enim Papæ tyrannis, & perniciosissima hominum figmenta, fulgorem ueritatis Euangelicæ adumbrabãt. Sicq; eadẽ tot seculis abscondita, & nec dũ

reſerata, quia puer ſenſibus eram, cogitabam, ſentiebã, atq; loquebar ut paruulus. At nunc per CHRISTI pietatem, a miſera cæcitate redemptus euacuaui quæ erant paruuli. Ideo ad apertam præſcriptæ regulæ intelligentiam, ſola Dei eloquia ſumpſi, per quæ hominum quæcunq; inuenta, non tantum exponenda, ſed & corrigenda, & ſi neceſſum eſt, etiam annihilanda ſunt.

Deſcrendum eſt qđ fuit inconſulte ad miſſum.

Neq; uos admirari oportet, quod de eadem tam libere loquar. Quippe qui eandem olim inconſulte profeſſus ſum, nunc in illam conſulto ſcribere poſſum. Deniq; omnem credentem, ſoli Dei uerbo ſumme inniti, ac Deo magis quàm hõinibus obedire neceſſum eſt, Acto. 5. Ideo nihilifacio Papæ approbationes, decreta, declarationes, cenſuras, & quicquid homo ille peccati, filius perditionis, per ſtultam carnis prudentiam excogitare potuit unquam.

Præmonitio.

Noui demum pleroſq; ueſtrũ, grauiter laturos, quod Papam uocẽ Antichriſtum, hominemq; illum peccati, filium perditionis, nouiſsime dei uerbo reuelatum, quodq; regnum illius, id eſt, cunctos ipſi aſſentientes, regnum Antichriſtianum, apoſtaticumq; appellem. Sed ſi ſcripturas diligenter inſpexeris, hac ſentẽtia, nihil uerius dici poſſe dijudicabitis. Enimuero quæ Dan. 8. de Rege facie impudente, ſiue iuxta hebraicam ueritatem, de rege facierum habentur, & loci ſimiles, nulli regno magis quàm iſti conueniunt.

Nihil quoq; dubitauerim, hoc regnum eſſe, purpuratã illam

illam meretricem, quæ ſedet, id eſt, ſidit & quieſcit ſuper beſtiam, id eſt Papam Antichriſtum, Apo. 17. quæ caſura prædicitur. Apo. 14. & 18. De qua ibidem nobis dicitur. Exite de illa Populus meus, & ne participes ſitis delicto rum eius, & de plagis eius ne adcipiatis. Quoniã peruenerunt peccata eius usq; ad cœlum, et recordatus eſt Deus iniquitatum eius. Cum ergo conſtet, omnes monachorum ſectas, Cardinalium, Epiſcoporum, Prothonotariorum, Abbatum, Canonicorum, omniumq; ſimilium laruas, ad idem perditionis regnũ pertinere, neceſſe eſt, uniuerſas floccipendere, atq; de illarum medio exire. Alioqui de plagis eius adcipient. &c. Exeũdum à regno Papæ Antichriſti.

Deniq; ſubiungit. Reddite illi, nempe regno Purpurato & meretricio confuſiſſimo, ſicut reddidit uobis. Et duplicate ei duplicia ſecũdum opera eius. In poculo quo miſcuit uobis miſcete illi duplum. Quãtum ſe glorificauit, et in delitijs fuit, tantum date illi tormentum & luctũ &c. Regnũ meretricium purpuratum. Primum iuſſit ut electi quiq; ab illo exeant, hic ut illud uehemẽter diſcrucient, antequam penitus euertatur, Siquidem illud & cruciari & euerti neceſſe eſt. Et ne liberum ſibi quiſpiam arbitretur, quod præſcriptum regnũ pro ſua uoluntate, ualeat diſcruciare, in quo id efficiat palam facit dum dicit. In poculo quo miſcuit uobis, miſcete illi duplum &c. Diſcruciãdũ eſt per uerbũ dei.

Pauloãte, hoc regnũ, quod ſicut prædiximus, ſub typo purpuratæ meretricis deſcribitur, aureum poculum ſuis immunditijs atq; abominationibus plenum, in manu habere dicitur.

Poculum

Poculum istud preciosum, itemq; pulchrum est, nempe aureum, quod uerbum Dei eße non dubites. Namque

Poculū aureū uerbū Dei est.

preciosius est cunctis opibus, & omnia quæ desyderantur, huic non ualent comparari. Prouerb. 8. Estq; desiderabilius super aurum, & lapidem preciosum multū, psalmo. 18. Quod tum Antichristus ille cum suo regno, suis immundicijs impleuerunt, cū uerbi Dei ac nominis eius sanctissimi gloriam, in suarum impietatum & adinuentionum operimentum aßumpserunt. Nunquam enim electi de immundicijs eius inebriati fuissent, nisi in poculo aureo, scilicet sub Dei (quem timent) nomine sanctissimo.

Vere in precioso poculo, in Dei nomine glorioso, maledicti regni Papistici abominationes compotauimus omnes. At nos separare oportet preciosum à uili, ut quasi os Domini simus. Iere. 15. Adcipiamus ergo aureum poculum, preciosum eloquium Dei, reiectis Papisticis immundicijs & abominationibus cunctis. Solo Dei uerbo nitamur, quicquid autem ab illo dißentit, abijciamus. Nēpe quicquid ipsi Verbo non omnino consentit, in conspectu Domini abominatio est. Sed heu non omnes capiunt uerbum, ideo malunt in calice splendido, spurcicijs Antichristianis inebriari. Porrò eum qui saluus esse desyderat, quas absorbuit immundicias reijciat, oportet.

In poculo quoque Verbi sancti electi misceant duplū.

Miscendū duplum.

Sed quid miscebunt? Nunquid immundicias? sicut præscripta meretrix? absit. Miscuit in eo, impia illa sola quæ habuit spurca & immunda, nempe indulgētias, con

stitutiones,

stitutiones, decreta, sectas, excommunicationes, cultum diuorum, uota impia, idololatriam, et reliqua id genus portenta. Neq; enim potuit, hunc implere calicem nisi solis, quas habuit, impietatibus. Habuit tantum poculum aureum, externum scilicet diuini cultus ac superficiei scripturæ nitorem, quem suis mendaciis cōspurcauit. Nimirum quem ipsi aureo calici infūderent, optimum latentis spiritus liquorem non adcepit. At nunc electis reuelata est, desiderabilis scripturæ ueritas, ut per CHRISTI spiritum, Bibliorum utriusq; instrumenti concordiam facile animaduertant, uideantq; ex illis, quantum sint à CHRISTI pietate aliena, quæcunq; præscriptum regnum apostaticum operatur. Ideo contra illud, in prædicto aureo poculo, in puro uidelicet eorundem Bibliorum textu, miscent duplum, id est germanum literæ sensum, omnibus hominum figmentis præstantiorem: quod enim aliis præstat, illorum respectu duplū quiddam est. Deniq; ex uarijs scripturæ sententijs, Papam cum toto suo regno superbissimo, discruciant, torquent & confundunt, ut quantum se, non Deum, per idem uerbum, secundū hominū figmēta īterpretatū, glorificauit et in delicijs fuit, per illud in suo genuino sensu expositum, tantam confusionem, tantumq; tormentum adcipiat. Igitur literæ superficies calix preciosus & aureus est, illius autem ueritas, cunctis & electis et angelis suauissimus liquor.

Quod autem is desiderabilis liquor, sit in calice admiscendus, ob id quàm maxime liquet, quod prædictum meretricium

retricum regnum, dominus per eum torqueri uelit. Si enim cum diuinarum literarum superficie, abhominationes papisticas, et Scholasticas misceremus, inde tormentum accipere minime posset. Quandoquidem nihil aliud cõcupiscit. Porrò dei uerbo quod odit, discruciandũ est.

Tria electis praecipiũtur. Hic uide tria nobis à Deo iuberi: Primum quod exeamus de medio Regni meretricij huius, ab illo per omnia dissentientes. Secundo, quod in calice uerbi Dei preciosissimo, aperta diuinae legis testimonia commisceamus, Tertio, quod eadem commixtione, id est ueritatum scripturae concordia, regnũ illud impijssimum torqueamus. O praecepta sanctissima ac uniuersis credentibus summe necessaria, quae dum implere nitimur, in quo erramus? Consilium certe Dei est, ut hoc regnum impijssimum, nõ manibus, sed solo Dei uerbo conteratur, & ad nihilum redigatur, fiatq; regnum huius mundi Dei & domini nostri IESV CHRISTI. Amen.

Hinc est quod sequentes commentarios, in uestram regulã, extra aeternas Dei regulas uos ponentem, ac alia quae in reprobis constitutionibus quorumuis monachorum habentur, aedidi, ut uniuersae regni Papistici abominationes, notae fiant, & à cunctis diligentißime euitentur. Habetur iam de hac re Martini Lutheri Theologi Christianißimi liber, in quo nihil desyderatur, quod ad uotorum monasticorum insaniam detegẽdam pertineat. Attamen, quia prae caeteris Minoritarum secta orbem seduxit, speciali est digna libello. Nolo autem, ut ueritatis hostibus

Martinus Luther. Minoritarũ secta, prae caeteris, orbem seduxt.

forsan

forsan uidebitur, euertere ordinem, sed cōfusionem. Non surgo in Euangelium CHRISTI, quod omnium credentium unica regula est, sed ad id tendimus omnes, ut spretis frigidißimis hominum traditionibus, stultisq; figmentis soli Dei uerbo hæreamus.

Expauescimus demū, quod tot sæculis cæci fuerimus, in luce nouissime reuelata, letantes. Videmus Paulum à Deo electum pri. Corin. primo, acerrime increpare, ac zeli, contentionis, scismatis, & carnalis adfectus arguere, eos qui dicebant, Ego Pauli, ego Apollo, ego Cephæ. Itidem facit cap. 3. Sic tandem cōcludens. Nemo itaq; glorietur in hominibus. Omnia enim uestra sūt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue uita, siue mors, siue præsentia, siue futura. Omnia enim uestra sunt, uos autem CHRISTI. Hæc cum ita se habeant, pro secto scismatici, contentiosi, & carnales sunt, qui CHRISTVM diuidunt, & dicunt, Ego Francisci, ego Dominici, ego Augustini, ego Claræ, ego Brigidæ, ego istius siue illius. Nunquid Franciscus, aut Dominicus, aut reliqui, pro quopiam crucifixi sunt, aut in nomine cuiuspiam eorum baptizati sumus?

Diuisus Christus ob sectas.

Mira certe fuit in orbe cæcitas, ut iam CHRISTVS sit in tot sectas diuisus, quot penè sunt innumerabiles, quarum quæq; pharisaica sibi tegumenta confinxit, & gradus aliquot perfectionis, præ reliquis se habere gloriatur. Interim uolunt ordines adpellari, cum à christianæ pietatis ordine, nullus fiat magis alienus,

Cæcitas orbis.

eo qui

eo qui monachiſmum ſemel admiſit. Verum ut quæ ſuggerimus, cunctis fiant notiora, ex eiſdem ſectis aliquot hic enumeravimus.

Aliquot ſectarum perditionis, nunquam à Deo ordinatarum, catalogus.

1 Secta paparũ, quæ tũc incœpit, dũ Romanus Epiſcopus primatum contra fas ambiuit, & ſe Antichriſtũ fecit.
2 Secta Cardinalium, quæ cum omnibus ſequentibus diabolo ſuggerente, ad tyrannidis Regni Antichriſtiani confirmationem adinuentæ ſunt.
3 Secta pſeudopatriarcharum, non Abraami, Iſaac, &c. ſed laruatorum.
4 Secta pſeudarchiepiſcoporum.
5 Secta pſeudepiſcoporum.
6 Secta Canonicorum.
7 Secta pſeudoſacerdotum, oleatorum ſcilicet & raſorum.
8 Secta Diaconorum non Euangelicorum.
9 Secta Subdiaconorum.
10 Secta Acolytorum. &c. Et præter has Sectæ, Archidia. Archipreſby. &c.
11 Secta Anachoretarum.
12 Secta Benedictinorum nigrorum, quæ utriusq; ſexus ſectas plurimas habet,
13 Secta Camaldulenſium, qui ſub Benedicto ſunt, & albis induuntur.
14 Secta Ciſtertienſium.

Secta

37 Secta VVenceslaorum, quorum cuculla, à nobilium mulierum Galliæ mitra, haud longe dißimilis est.

38 Secta S. Helenæ. Hi pallijs albis operiuntur, & crucem ante pectus croceam habent.

39 Secta Ambrosianorum, qui super tunicis albis, rubeas chlamydes gestant.

40 Secta Equitum ex eisdem.

41 Secta Speculariorum, super quorum albis pallijs, nigra crux, & sub illam circulus niger, picta sunt.

42 Secta de cruce stellata. Hi nigra pallia, ab alijs dissimilia habent.

43 Secta Chalomerianorum, in quorum pallijs albis, crux item alba signata est.

44 Secta Iohannitarum, quæ præter equites, sectas uarias habet.

45 Secta de Purgatorio, qui ante pectus crucem habent.

46 Secta de domo Theutonica.

47 Secta Cælestinorum.

48 Secta Grandemontensium.

49 Secta Cartusianorum.

50 Ex eisdem Secta Monialium.

51 Secta S. Brigidæ, qui in circulo ante pectus, in palleis fidigineis crucem rubeam habent.

52 Secta Hierosolymitarum.

Ex eisdem, Secta Monialium.

53 Secta fratrum Indianorum, quos uulgus de India uocat. Horum superior tunica nigra est, cuculla alba.

Secta

68 Secta sancti Iacobi de Spata, ut uulgo dicũtur, qui rubeũ ensem ante pectus habent.
69 Secta Hospitalariorum sancti spiritus.
70 Secta Disciplinatorum.
71 Secta de misericordia siue charitate, q, ut dicũt, infirmorũ ministerio et defunctis sepeliẽdis, specialiter sedicarũt.
72.73.74. Secta Minoritarum, quæ in Conuentuales, Obseruantes,
75.76. Reformatos, Collectaneos, de Caputio, de Euangelio,
87.78.79. Amedeos, Clarinos, & in alias sectas est mire diuisa.
80.81.82. Secta Clarissarum, quæ in Obseruantes, Reformatas, Vr
83 banissásque diuisa est.
84 Ex Minoritis, secta Tertiariorũ, quæ utrunq; sexũ capit
85 Secta Iosephitarum, qui habent cinericias tunicas, & cucullam albam.
86 Secta Monialium reclusarum in muris, quarum aliquot Romæ sunt.
87 Secta Gregorianorum, qui aerijs palleis, eisdémque amplißimis uestiuntur.
88 Secta Ambrosianorum, aliorum à prædictis, qui fuligineis uestibus operiuntur.
89 Secta Monialium decem uirtutum .S. Mariæ, quæ nostris orta est temporibus, & mira colorum uarietate insanire uidetur. Habent enim uelum nigrum, tunicam albam, scapulare rubeum, cinericiam chlamydem. Capelletum, quod uocant, decies tantummodo repetitæ salutationis angelicæ ab istis exordium sumpsit.
90 Secta Minimorum, quos Franciscus de Paula inchoauit.

Hi

Hi fuligineis tunicis ueſtiuntur.

Secta de ſacco, qui tunicam ex tela habent, & in manu 91
crucem portant. 92
Preter has autem, fuerunt, Ieſuitæ, Templarij, Columbi- 93
ni, & aliæ absq; numero perditionis ſectæ, quarum nomi 94
na & habitus minime ualui reperire. Earum autem quas annumeraui partē uidi, partem ab alijs deſcriptam inueni. Quod ſi cuipiam uiſum fuerit, in ueſtimentorum diſtinctione fuiſſe erratum, ſciat me in libris antiquiſſimis eadem reperiſſe, Deniq; nec talia hæc ſunt, ut tam exactam inquiſitionem promereantur. Vtinam perirent tot Satanæ monſtra, per quæ ſacroſanctæ Eccleſiæ CHRISTI unitas, eſt pernicioſiſſime diuiſa. Iam fere nullus exiſtis, ſe CHRISTI diſcipulum ſimpliciter profitetur. Sapuerunt omnes, non ad ſobrietatem.

Eccleſiæ Chriſti unitas eſt per ſectas diuiſa.

Namq; alij ementita pauperie Euangelica, mendicantes. Alij ſua incredibili rapacitate, terrena undelibet congregantes, uniuerſum orbem exhauriunt. Sunt profecto in orbe, haud ſecus atq; in ueſtibus tineæ, in horreis mures, atq; uermes, in oleribus erucæ, locuſtæ & bruci, in metallisq; rubigo. Vtinam omnes conuerterentur ad cor, & lucem adprehenderent, quæ etiam in tenebris lucere dignatur. Nolo, in hoc ſeductum monachorum uulgus malignari, quia fui olim ego ipſe ſeductus. At ſeductos cupio à CHRISTO neceſſaria ueritatis cognitione illuſtrari, ne pereant, ſed ſalui fiant. Huius rei gratia, pro eis cupio anathema fieri. Quis eccleſiæ CHRISTI hoc

tribuat, ut uniuersæ orbis sectæ, & quæcunq; etiam stultæ sanctorũ fraternitates, prorsus obliterentur, ut omnes uno ore, eadem libertate unum solum caput confiteantur Dominum IESVM CHRISTVM. Hæc est omnis sequentium scriptorum ratio, hic scopus omnium, qui aduersus monasticen syncere aut scribunt, aut loquuntur.

Suscipite nunc charissimi per CHRISTVM, opus hoc qualecunque uobis dicatum. Quod quia uerbo Christi nititur, pijs ueniet in auxilium & consolationem, impijs uero in scandalum, ruinam & perditionem. Gratia autem & pax domini nostri IESV CHRISTI, cum spiritu uestro, fratres, amen. VVitembergæ mense Martio. 1523.

Titulorum

TITVLORVM ET
capitum index.

PARAENETICON AD MONACHOS.

Este procul, moneo, Rasi, uos conteret anceps
Ensis Lamberti, Spiritus ipse Dei.

FRANCISCI

LAMBERTI AVENIONENSIS IN Minoritarum regulam, eoſdem ab æternis ſermonũ dei regulis diuidentem, ac contra uniuerſas ꝑditionis ſectas, cunctarũq; reproba figmenta atq; iuſſa, Commentarij uere euangelici.

Quod & Minoritarum, & omnium prorſus credentium, eadem regula, ac fraternitas ſit.

Caput primum.



dſeuerãt Minoritæ, atq; ĩ hoc quã maxime gloriantur, quod regulam ſint profeßi Euãgelicam, quẽadmodum in eius pricipio ſcriptũ eſt. Regula et uita fratrum minorum hæc eſt, Domini noſtri IESV CHRISTI ſanctum Euangelium obſeruare. Itemq; in fine. Sanctum Euangelium Domini noſtri IESV CHRISTI, quod firmiter promiſimus

obseruemus. De quo sanctus Franciscus in testamento suo, profitetur se à Domino suscepisse mandatum, quod secundum formam sancti Euangelij uiuerent. Optabat quippe uir sanctus, modis omnibus, Deo acceptus fieri, & modum solicite requirenti imperauit Dominus, uiue secundum formam Euangelij mei, quasi diceret illi: Francisce, quæris quid te agere oporteat, ut mihi gratus sis, uerum: Quid frustra fatigaris? habes iam regulam, quam ego ipse omnibus seruis meis tradidi, nempe Euãgelium, meum. Quid aliud quæris? Vides plurimos diuersas uiuẽdi Sectas elegisse. Fit ille Cartusianus, alius Benedictinus, alius Carmelita, alius Bernhardum, alius alium sequitur, & ego obliuioni datus sum, tanquam mortuus à corde. Tales sectas non recipit Euangelium meum, quod neq; ab illis neq; à populis obseruatur, immo per illos, populi ab Euangelij synceritate dimouentur. Volo suscitetur Euangelium meum, quod uniuersorum in me credentium, unicam fore regulam, ab æterno constitui, quod multiplicatis tot perditionis sectis, penè sepultum est. Nolo ut facias nouam regulam, cum post Euangelium meum, nullam unquam institui uoluerim, tametsi spreto tot seculis codẽ Euangelio, orbem dignum iudicauerim, ut per uanissima hominum somnia, multifarie deluderetur. Fuit Bruno cũ suis, qui olim uastam heremum, iuxta pagum, cui nomen Cartusia (unde & Cartusiani dicti sũt) elegerunt, ut ibidem mihi liberius uacarent. At non multo post, uehementer seducti, sibi perditionis instituta, in carnis prudẽtia scripse-

Præcipit Deus ut Euangeliũ seruent.

Non uult aliã regulã, quã euãgelium.

De Cartusianis.

tia scripserunt, per quæ, ab Euangelio meo facti sunt ali em. Vides iam apud eos impietatem, auariciam, tenacitatem, immisericordiam, superbam ædificiorum structurā, prediorum rapacitatem, negociationem. Greges uero, & armenta, quasi terræ principes fouent. Interea hæc sūma palliant hypocrisi, uitam solitariam, buccis tumentibus iactitantes. Vere solitarij sunt, qui à me diuisi, cuius eloquia spernunt. Propterea sine caussa, colunt me, falso quidem cultu, & secundum doctrinas ac mandata hominum, semper noua constitutionum eidola sibi infeliciter erigunt.

Quid demum reliquis profecerint, inuenta sua, conspicis apertissime. Quid enim habent cum Euāgelio meo commune, Benedictini & Bernardenses, ac cæteri quos Poßidentes uocant? Tu ipse uolo dijudices. Principatus, terras, poßeßiones undecunq; rapiunt, ut sint infidelibus deteriores. Apud eos fons auariciæ ac superbiæ est. In eis sum cum Euangelio meo per omnia crucifixus, mundus autem & caro uiuunt. Interea egregij illi hypocritæ, tam anxie externas laruas custodiunt, ut uel corrigias calciamentorum habuisse dissimiles, crimen inexpiabile putēt. Sic proficiunt impiæ hominum doctrinæ, ut semper magis magisq; à pietate deficiant. Nimirum quemcunq; à scopo, quem institui, se diuidentem, in immane errorum pelagus decidere necesse est. De possidētibus.

Pharisaica quoq; illa multitudo, eorum qui mēdicitatis tit ulo hypocritice gloriantur, quantum à me diuisa sit, nemo sanæ mentis non animaduertit. Commendant De mendicantibus.

dant hi suam impiam mendicitatem, non uidentes (ut cæci sunt) quod, quisquis in me syncere crediderit, si, salua gloria nominis mei, fieri poterit, eandem nunquam sit admißurus. Nonne credentis uerba sunt hæc? Prouer. 30. Mendicitatem & diuitias, ne dederis mihi. Tribue tantũ uictui meo necessaria, ne forte satiatus, illiciar ad negandum, & dicam quis est dominus? aut egestate cõpulsus, furer, et periurem nomen Dei mei. Profecto non est mentitus, qui dixit, Psal. 36. Non uidi iustum, id est credentẽ, derelictum, nec semen eius quærens panem. Neq; enim Hierosolimis, in illa credentium multitudine, quispiam egebat. Acto. 4. Nihilominus ueri pauperes erant, quia nec quisquam aliquid eorum quæ poßidebat suum esse dicebat. At dum illis expedit, & pro nominis mei confeßione ac prædicatione neceßum est, fiunt quasi egentes, qui plurimos locupletant, ut nihil habentes, cum omnia poßideant. 2. Corin. 6. immo non tantum hac de caussa egentes fiunt, sed & premuntur, angustiantur, occiduntur, quibus indignus est mundus. Hebræ. 11. Qui enim, nõ fierent propter me aliquando egeni, pro quibus, et ego cum diues essem, egenus olim factus sum, ut illos mea paupertate ditarem? 2. Corin. 8. Aut qui, non mei caussa, huius seculi aduersa tolerarent, pro quibus, opprobria, sudores, flagella, clauos, crucisq; tandem amaritudinem sum perpessus?

Quàm impia sit eorum mendicitas.

Electi fiũt quandoq; egẽtes pro gloria dei.

His uero haud quaquã obsistit, quod præscriptum est. Non uidi iustum. &c. Illic enim iustus est, cuius ego

iustitia

iusticia sum. Quomodo ergo derelictus est, qui à me nunquam diuiditur? Etenim cum ipso sum, etiam in tribulatione, ut eripiam & glorificem eum, Psal. 90. Igitur non fuit uisus iustus, à me derelictus, cum ab illo, nec à semine suo, nunquam proculsit auxilium meum.

Vides, lector, quantum à salutis scopo aberrarint, qui tot perditionis sectas adinuenerunt. Nimirum neq; possidentium rapacitatem, neq; pseudomendicantium stulticiam, casta Dei eloquia norunt. Illos quippe (quae omnium scelerum radix est) cupiditas damnat: hos uero, manifestissima hypocrisis. At quia neutrum eorum, per uerbũ Dei institutũ est, opus Diaboli esse dicamus oportet. Monachismus opus diaboli est.

Ad superiora tandem regrediamur. Iussionem (ut dictum est) accepit à domino beatus Franciscus, ut nullã, praeter Euãgeliũ suum, regulã ordinaret, haud secus atq; illi diceret. Sufficit cunctis lex quam tradidi. Hanc semel institui, quam nolo ab aliquo immutari. Igitur nil addas uel imminuas. Enuncia uerbum simplex Euangelij mei, per quod electos meos saluari oportet. Hoc uolo, hoc tibi districte praecipio. Sic illud syncere ac simpliciter cum tuis custodi, ut ad germanam illius obseruationem plebes cunctae efficaciter prouocẽtur. Nam omnes deseruerunt me, & post studia sua solicite currunt. Eadem est oĩm credẽtiũ fraternitas.

Fraternitatem deinde omnium credentium (cum eadem sit) nullus diuidit, praeter eum, qui uult à fidei unitate separari. Nempe cunctis fidelibus, dixi illud. Matthaei. 23. Omnes enim uos fratres estis. Errant ergo, qui spirituales fra

dant hi ſuam impiam mendicitatem, non uidentes (ut cæci ſunt) quod, quisquis in me ſyncere crediderit, ſi, ſalua gloria nominis mei, fieri poterit, eandem nunquam ſit admiſsurus. Nonne credentis uerba ſunt hæc? Prouer. 30. Mendicitatem & diuitias, ne dederis mihi. Tribue tantũ uictui meo neceſſaria, ne forte ſatiatus, illiciar ad negandum, & dicam quis eſt dominus? aut egeſtate cõpulſus, furer, et periurem nomen Dei mei. Profecto non eſt mentitus, qui dixit, Pſal. 36. Non uidi iuſtum, id eſt credentẽ, derelictum, nec ſemen eius quærens panem. Neq; enim Hieroſolimis, in illa credentium multitudine, quiſpiam egebat. Acto. 4. Nihilominus ueri pauperes erant, quia nec quiſquam aliquid eorum quæ poſsidebat ſuum eſſe dicebat. At dum illis expedit, & pro nominis mei confeſsione ac prædicatione neceſsum eſt, fiunt quaſi egentes, qui plurimos locupletant, ut nihil habentes, cum omnia poſsideant. 2. Corin. 6. immo non tantum hac de cauſſa egentes fiunt, ſed & premuntur, anguſtiantur, occiduntur, quibus indignus eſt mundus. Hebræ. 11. Qui enim, nõ fierent propter me aliquando egeni, pro quibus, et ego cum diues eſſem, egenus olim factus ſum, ut illos mea paupertate ditarem? 2. Corin. 8. Aut qui, non mei cauſſa, huius ſeculi aduerſa tolerarent, pro quibus, opprobria, ſudores, flagella, clauos, crucisq; tandem amaritudinem ſum perpeſſus?

Quàm impia ſit eorum mendicitas.

Electi fiũt quandoq; egẽtes pro gloria dei.

His uero haud quaquã obſiſtit, quod præſcriptum eſt. Non uidi iuſtum. &c. Illic enim iuſtus eſt, cuius ego

iuſtitia

iusticia sum. Quomodo ergo derelictus est, qui à me nunquam diuiditur? Etenim cum ipso sum, etiam in tribulatione, ut eripiam & glorificem eum, Psal. 90. Igitur non fuit uisus iustus, à me derelictus, cum ab illo, nec à semine suo, nunquam procul sit auxilium meum.

Vides, lector, quantum à salutis scopo aberrarint, qui tot perditionis sectas adinuenerunt. Nimirum neq; possidentium rapacitatem, neq; pseudomendicantium stulticiam, casta Dei eloquia norunt. Illos quippe (quae omnium scelerum radix est) cupiditas damnat: hos uero, manifestissima hypocrisis. At quia neutrum eorum, per uerbũ Dei institutũ est, opus Diaboli esse dicamus oportet. Monachismus opus diaboli est.

Ad superiora tandem regrediamur. Iussionem (ut dictum est) accepit à domino beatus Franciscus, ut nullã, praeter Euãgeliũ suum, regulã ordinaret, haud secus atq; illi diceret. Sufficit cunctis lex quam tradidi. Hanc semel institui, quam nolo ab aliquo immutari. Igitur nil addas uel imminuas. Enuncia uerbum simplex Euangelij mei, per quod electos meos saluari oportet. Hoc uolo, hoc tibi districte praecipio. Sic illud syncere ac simpliciter cum tuis custodi, ut ad germanam illius obseruationem plebes cunctae efficaciter prouocẽtur. Nam omnes deseruerunt me, & post studia sua solicite currunt. Eadem est oĩm credẽtiũ fraternitas.

Fraternitatem deinde omnium credentium (cum eadem sit) nullus diuidit, praeter eum, qui uult à fidei unitate separari. Nempe cunctis fidelibus, dixi illud. Matthaei 23. Omnes enim uos fratres estis. Errant ergo, qui spirituales fra

tuales fraternitates erigunt, quarum medio sperent, se assequi posse salutem. Speciales quippe fraternitates, unitatem fidei, Christianæ scilicet fraternitatis & baptismatis disciderunt, atq; uarias & easdē perniciosissimas sectas introduxerunt. Propterea domus, quas ædificabo tibi, scholæ sint Euangelij mei, in quibus fiant uiri Euangelici, quicunq; ad uos peruenerint, & non erit inter uos aliqua fraternitas à communi omnium credentium unitate diuisa, ne forsan à mea gratia pariter diuidamini, illos uerbū meum simplicissimum edocete, atq; sic in spiritu lenitatis instruite, ut postmodum à uobis (si uoluerint) exeuntes, secum ferant simplicem uerbi mei eruditionem. Nanque sic eos liberos eße uolo, ut non fiant aliquando serui hominum quorumuis, ita, ut in me semper liberi sint, & faciāt libere, quicquid uoluerint, per spiritum meum. Atqui magno illos precio comparaui, ut filiorum DEI libertatem assequerentur.

Vide nunc, obsecro Lector charissime, quàm aperte sancto Francisco iusserit Dominus, non ut sectam inchoaret, sed ut penè calcatum sermonem Euangelicum faceret purissime obseruari, & omnes eius domus scholæ essent, nō superstitionum, murmurum, ululatuum, ceremoniarum, obclusorū, hypocriseosq;, sed amabilissimæ synceritatis & ueritatis. Quid ad præscripta dicent ipsi Minoritæ, qui nihil minus, quàm Euangelium seruant. Hi præ cæteris, qui coram hominibus pro seductoribus habētur? In ueritate opposita uouent, nempe Euangelium Christi,

sti, & decreta ac mendacia hominũ. Seruent miseri Euangelium purissimum, alijs reiectis, alioqui fieri non potest, ut non pereant in æternum.

DE EO QVOD IN REGVLAE CApite primo dicitur: Frater Franciscus promittit obedientiam & reuerentiam Domino Papæ &c.

Caput secundum.

Quia ergo diuo Francisco iußio facta est, ut Minoritæ uiuant secundum formam sancti Euangelij, quicquid in formula Minoritarũ scriptum est, quod nõ ab Euangelij fonte manauit, perinde atq; fictitium quiddam, est deserendum, quale est illud: Frater Franciscus promittit obedientiam & reuerentiam Domino Papæ Honorio, ac successoribus eius canonice intrantibus, & ecclesiæ Romanæ. Nanq; Euangelium sanctum Papam nescit, nec Romanam præ alijs ecclesiam probat. Vna est catholica ECCLESIA, quam recipit, cuius unum caput Christus est. Ephesio. 1. Romanus autem pontifex, cum nec illius pes quidem sit, quomodo caput erit? Enimuero quicquid ille habet, aliarum quoque ecclesiarum Episcopi habent, nempe non pompam, non dignitatem, ut uocant, sed pastorale munus, scilicet, ut CHRISTI oues fideli uerbi sancti ministerio solicite pascant. At non tantum illi, sed & quemcunq; ad id uocauerit Dominus, id habet.

Euangeliũ papam nescit.

Papa nec pes est Ecclesiæ.

Quid ad Episcopos attineat.

Quid

Quid igitur? Decepti sumus? Equidem, quoniam peccauimus domino, & mersi sumus in hoc profundum chaos, ut faciamus, quae non conueniunt, et consentiamus his peruersissimis spiritibus erroris. Summa autem orbis deceptio, à Romano eidolo manauit. Namque illum esse Antichristum nullus, qui ueritatis factus est particeps, ignorat. In regno quippe ipsius tantū ille infidelitatis, & abnegationis Christi spiritus (de quo primae Io. 2. & 4) reperitur. Veh adhaerentibus Papae Antichristo. Dissentiant ab illo, qui saluari desiderant, ne de plagis sibi praeparatis accipiat, et ne cum illo pariter intereant. Absconditum fuit tot seculis, quod Antichristus esset, nunc autem reuelatus est homo iste peccati, filius perditionis. Dat suis pinguia beneficiorum (ut uocant) munera, propterea nesciunt ab illo seiungi. Munera planè excaecant oculos prudentium, & mutant uerba iustorum. Deutero. 16. & Exod. 23.

Vnde uenit deceptio orbis.

Papa Antichristus homo peccati, filius perditiōis.

Quis nesciat, si tamen historias conspexerit, illius pompas, regna, principatus, faciem triplici corona superbam, maioritatem in reliquos, decreta, & huiuscemodi laruas, & humana & diabolica fore inuenta, quā uis detestabili mendacio, in toto orbe, se CHRISTI Vicarium iactet, quasi nesciremus quod translato imperio Constantinopolim, inter Constantinopolitanum episcopum & ipsum, de primatu aliquando contētio fuerit. Seduxit ille etiam electos Dei, at seductos, fides ī CHRISTVM ne perirent seruauit. Et uere seducti fuerunt omnes, etiam quandoq; à Satana. Quid mirum si per homines decl

Nota de cōtentiōe primatus.

Seduxit Papa electos Dei.

ces decipiantur? Sed nunquid beatus Francis. fuit ab illo seductus? Ego quidem non dubito, ipsum fuisse uirum christianißimum. Verum quis abnegabit eum simul fuisse hominem? Quod si homo fuit, seruusq; Domini, dixit cum Esaia, Esaiæ. 64. Omnes iustitiæ nostræ, quasi pannus menstruatæ. Itemq; cũ Ioanne. 1. Ioan. 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & ueritas in nobis non est. Si autem peccatum habuit, decipi potuit, etiam per Romanum pontificem. Quid mirum? Quis etiam sanctorum à multis annis non fuit deceptus? Sed nondum reuelatus erat impius ille. Seductus ergo fuit, sed non nisi sub CHRISTI nomine sanctißimo. Audiebat nomen Christi, quod summe reuerebatur. Nesciebat illum hominem eße peccati, quo in uniuersa terra, delicta plus illo nullus unquam multiplicauit, q̃ nondum reuelatus esset. Propterea, sicut & nos olim, factus est de regno illius, in quo non per Antichristum, sed per fidei simplicitatem saluus factus est, quasi Ananias, Azarias et Misaël ĩ medio flãmæ, Dan. 3. et Daniel ipse in lacu leonũ.

Frãciscus fuit deceptus per Papam.

Dan. 6.

Scripsit deinde specialem regulam, in qua tantummodo in his à uiro Christianissimo fuit erratum in quibus legibus antichristianis adhæsit, si tamen ipse est, qui regulam scripsit. Quæ autem illa sint, spiritu sancto dirigente, ostendemus. Quid obsecro necesse fuit uiro sancto, cõfirmationem regulæ suæ, si eam Euangelium eße putauit, ab hoc filio perdito postulare? ut uideo, iam inualuerat illa pernitiosißimus error, quo etiam in literis sanctis id tã

Nõ est necesse, Euãgeliũ confirmari à papa.

tum suscipiendum adfirmant, quod ille susceperit, reijciendum uero, quod ille reiecerit.

Papa bestia coccinea, plena nominibus blasphemiæ.

Vides Lector, si sapis, quæ Dei sunt, patentissimam uiri sancti deceptionem, qua seduxit illum bestia illa coccinea, plena nominibus blasphemiæ, super quam sedet, id ē, in qua quiescit purpurata illa meretrix Babylon, id est, cōfusissimum regnū papisticum, quod euertat Deus, Amē. Verum si seductum negas, da rationes, ut credam. Ostende, quomodo hæc sibi consentiant, quod Dominus illi præcepit: Viue secundum formam sancti Euangelij, & plurima ab Euangelio prorsus incognita, quæ demum adiunxit. Quod si feceris, tecum eundem non fuisse deceptum, asseuerabo. Libentius tamen affirmarem, quod nunquam eandem regulam scripserit, quā quòd seductus illam ordinarit. Nam sicut ex uerbis testamenti sui liquido cernitur, Dei uerba sanctissima ardentissime dilexit, & summe fuit semper reueritus. Difficile quoq; mihi uidetur, sanctū uirium tam apertæ iussion adeo sibi factæ contradixisse, ut cum ille præceperit, ut ipse & sui iuxta Euangelij puritatem uiuerent, sectas utriusq; sexus, quæ maxime contra Euangelium sunt, introduxerit, & per eas fidei sciderit unitatem, adiecerit q; insignem hypocriseos laruā, ad seducendum populos Dei, plus cæteris omnibus efficacē. Proinde illis minime contradicam, qui asserunt, hominem Dei ipsam perditionis regulam uere sibiipsi oppositissimam haudquaquam instituisse.

S. Franciscus dei uerba ardentiss. dilexit.

Qualiter

QVALITER MINORITARVM REgula ſit interpretanda, & de uniuerſis Monachorum traditionibus, per Dei uerbum corrigendis & anullandis.

CAPVT III.

QVia dominus præcepit, ut Minoritæ uiuant ſecundum formam ſancti Euangelij, ideo non Euangelium per eorum regulam, ſed ipſa regula per Euãgelium eſt intelligenda, immo & corrigenda. Alioqui præferrentur inuenta hominum diuinis inſtitutis, quod animis Chriſtianis nunquam adceptum fieri poteſt. Pari ratione uniuerſæ monachorum regulæ, itémque conſtitutiones, per Euangelium corrigendæ, & ſi ab illo diſſentiunt, etiam anullandæ ſunt. Euangelium hic uocamus, non tantum Matthæum, Marcum, Lucam, Ioannem, ſed & Pauli, Petri, Ioannisque epiſtolas, in quibus felix ac fauſtum gratiæ & beneuolentiæ nobis per CHRISTVM donatæ nuncium deſcribitur. Immo nec dum illa, quæ enumerauimus, ſed & quæcunque ſcripta id nobis palàm faciunt, Euangelia iure dici poſſunt. Per hæc ergo non tantum corriganiur, ſed & reprobentur, ac condemnentur quæcunq; hominum inuenta, traditiones, decreta, ut ſola caſtiſsima eloquia Dei in nobis regnent, et CHRISTI ſpiritui carnis ſenſus atque prudentia plene ſubijciatur.

DE EO QVOD PRIMO REGVLAE capite ponitur, Viuendo in obedientia, sine proprio & in castitate. Caput IIII.

Post regulæ principium, ubi scriptum fuit: Regula et uita fratrum minorũ hæc est. Domini nostri IESV Christi sanctum Euangeliũ obseruare, adiunxerunt hanc limitationem, uiuendo in obedientia, sine proprio, et in castitate. Profecto inconcinna additio est, ita ut à priore sententia dißentiat, saltem ita ut uolunt enarrata. Hinc Clemens quintus in sua Extrauagante, quæ incipit: Exiui de paradiso, longam scripsit disputationem, concludens, quòd Minoritæ non obligantur ad totius Euangelij obseruationem, sed solum ad illa tria uota, nude & absolute accepta, & ad ea, quæ pertinent ad hæc tria, quæ regula ipsa ponit. Stulta prorsus determinatio, per Dei uerbum neutiquam roborata. Quis enim ab Euangelij obseruatione exceptus fuit unquam? Liquet eundem Clementem ideo deceptum, quòd à præceptis consilia distinxerit. Obedientiam & paupertatem consilia fecit, cum præcepta sint, cunctis summe necessaria: Solam quippe in cœlibatu perseuerantiam liberam fecit dominus his, qui donũ acceperunt, dicens Matth. 19. Qui potest capere, capiat. Quandoquidẽ cœlibem uitã nemo unquã ducere potuit, nisi pudicitiæ donũ à Christo receperit, sicut ibidẽ dicitur: Non oẽs capiũt uerbum istud, sed quibus datum est.

DE VOTO OBEDIENTIAE. CAPVT V.

primum

PRimum ergo non tantum Minoritarum, ſed & omnium credentium obedientiam, quam hominibus ſpondent, talem eſſe oportet, ut Dei ac parentū obedientiæ haudquaquam aduerſaria ſit. Scriptum nanq; eſt Acto.4. Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Et Heſter.13. Dominus uniuerſorum tu es. Saluator quoque ait Matth.28. Data eſt mihi omnis poteſtas, in cœlo et in terra. Igitur ei, qui uniuerſorum eſt dominus, eſt ante omnes parendum. Qui nos demum noſtris ſubiecit parētibus. Exod.20. & Deuter.5. Honora patrem tuū & matrem tuam. Idcirco Matth.15. ſcribas & pharisæos durius carpit, qui præſcriptam iuſſionem pauci facientes, filios, non accepta à parentibus facultate, aliqua poſſe alijs elargiri, docebant. Parentibus ergo obedire neceſſum eſt, niſi quidquam aduerſus immaculatam dei legem præceperint. Idcirco illis abnuentibus, non poſſunt filij licite monachi fieri, immo nec omnino poſſunt, ut habent monachorum res, quamuis impij monaſtices aſſertores omnia pro eadem calcanda impudenter affirment. Pronuncient illi ſui capitis ſomnia, quantum uoluerint, nos ſimplici dei uerbo firmiſſime hæreamus.

Adquieſcē dū parentibus in domino.

Deniq; ipſis parentibus admodum impium eſt, proli ſuæ facultatem concedere, ut monachi fiant, ob id maxime, quò d illis exeundi libertate ablata, grauiſſimo animæ ſuæ periculo ſe exponunt. Quoniamquidem eos in Christo liberos eſſe oportet. Efficit enim ea felix libertas, ut qui eam habent, ſint omnibus ſubiectiſſimi atq; obſequen-

Impiū eſt, filijs dare facultatem ut monachi fiant.

tissimi, ut omni petenti se suaq; tribuant, ac cunctis ege-
nis, pro uiribus auxilium præstent. Neq; se alteri licite
quispiam subijcit, dum se uidet ob id, à Christiana obedi-
entia impediri. Sed heu, prædictæ obedientiæ sancta liber
tas penè extincta est, & sub manu perditissimorum quo-
rundam eidolorum captiuata.

Christiana obediētia in monachis extincta est.

Non pudet hypocritas quosdam sceleratissimos, tan-
ti facere suas perditionis sectas, ut dicant, etiam calcatis
patre & matre, omnes posse eorum infelici consortio iun
gi. Sic innumeros adulelescentes seducunt, & sacro Euā
gelicæ obseruationis splendore mentito, ad diuinæ iussio
nis apertissimam transgressionem deducunt.

Impia interpretatio huius loci: Qui amat patrē &c.

De seipsis interpretantur illud Matt. 10. Qui amat
patrem aut matrem plus, quàm me, non est me dignus. Et
qui non accipit crucem suam, & sequitur me, nō est me di
gnus: quasi ad illos ingredi, sit CHRISTVM sequi, &
illius crucem ferre. Disce lector ab his uiris eruditissimis
qualiter diuinas literas interpreteris. Sic nanq; illas tra-
ctant, ut penè cunctos ab earum auocent synceritate. Veh
uobis, ò, scribis & pharisæis deteriores, qui non saltem
ut illi, in Mosi, sed in pestilentiæ cathedra sedetis. Pesti
lens quippe & immunda est omnis traditio uestra. Om-
num illud operimentum, quod gestatis, non est credentiū
necessaria crux, neq; illo contegi, est Christum sequi, ne-
q; propterea efficitur quispiam Christi discipulus, aut il-
lo dignus. Quid enim efficiunt terrena quæcunq; ad Chri
stianismum? Etenim Christianus, Gal. 3. & Coll. 3. non
est

est Iudæus, neq; Græcus: non est seruus neq; liber: non est masculus neq; fœmina. Breuiter, nulla externa facie aut qualitate seruitus Christi secernitur.

Quid autem sit eum sequi, ipse ostendit, dum dicit Mat. 16. Si quis uult uenire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Tunc enim quis qui illum sequitur, dum seipsum abnegat, dum suam crucem tollit. Hæc tria sic adiuncta sunt, ut nunquã unum à reliquo seiungi possit. Venit post Christum, quisquis in illum credit. Aduentus quippe ille de fide intelligendus est, de quo ipse dixit Io 6. Nemo potest post me uenire, nisi pater meus traxerit eũ. Et rursũ: Omnis qui audiuit à patre et didicit, uenit ad me. Et iterum: Omne quod dat mihi pater, ad me ueniet, et eum qui uenit ad me, non eijciam foras. Deniq; seipsum abnegat, quisquis syncere credit, dũ soli Christo fidit, illiq; omnia tribuit, nihil sibi. Non uult proprijs uiribus, aut sensui fidere, neq; suo uult arbitrio duci. Nouit q̃ perditio ex seipso proficiscitur, ex Deo autem tantummodo auxilium suum Oseæ 13. Ideo suis abrenunciat, et uoluntatibus et sensibus et uiribus, ut iam non uiuat ipse, sed Christus in eo. Scit opera sua, quæ non Christi spiritus in illo operatur, peccata esse et impietates. Esaiæ 64. Vniuersæ iustitiæ nostræ, quasi pãnus menstruatæ. Et Roman. 14. Omne quod non est ex fide, peccatum est. Propterea solum Christum uult in se uiuere et operari, atq; cum Paulo confidenter dicit, Gala. 2. Viuo ego iam non ego, uiuit uero in me Christus. At posteà

Quid sit Christũ sequi.

Venit ad Christum, qui credit.

Quid abnegare seipsum.

quàm seipsum sic abnegauit, nunquam non crucem tollit. Resipiscit enim quottidie ac renouatur, Christo commoritur, ut resurgat. Veterem hominem in se crucifigit, ut noua creatura efficiatur. Vides nūc manifestissime, quid sit Christum sequi, nempe in fide se abnegare in omnibus, et resipiscendo, ueterem hominē semper crucifigere, ut noua fiat creatura.

Ergo sequi Christum, non est suscipere monasticen, neq; hoc uel illo operimēto uestiri, sed credere. Neq; seipsos abnegant aut crucifigunt, qui has laruas admittunt, sed qui Christo commoriuntur, & cum illo resurgunt. Vnde consequitur, quòd neq; propterea illius discipuli sunt, ut iactitant. Sola enim fides, dum iustificat, Christi discipulos facit. Audebis forsan, his contradicere impie Sophista, sed interficiet te Dominus IESVS Christus gladio oris sui.

De se exponūt, qd' Christo cō petit.

Ad se quoq; torquent illud Lu. 14. Si quis uenit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios &c. Ego autem omnino asseuero, patrem, matrem, uxorem, filios, & omnem cognationem, ac domos, agros, & similia, fore super cunctas monastices laruas diligenda, siquidem illa secundum Christum diligi possunt, hæc autem nequaquam. Vere suprà quàm dici possit, aberrarunt & insanierunt, luciferinam hanc rapinam admittentes, ut quod de Christo intelligitur, ad se conuerterent. Nō de uobis, ò insani hypocritæ, sed de optimo SALVATORE nostro, hæc sunt, propter quem uniuersa sunt contemnenda, etiam uos ipsi. Atq; ut paulò copiosius loquar,

quar,

quar, etiam purpuratum illud atq; meretricium Babyloniæ regnum, Papa scilicet Antichristus, & generosi illi satellites eius, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, & alia id genus eidola mundi. Reges quoq; & Principes terræ, ac parentes & amici quicunq;, itemq; omnis terrenorum possessio, haud secus atq; uile quiddam sunt reijcienda, ac quasi stercora arbitranda propter eum, ut potius illi soli, quàm reliquis omnibus hæreamus.

Obijcient mihi impia glossemata, somnia uidelicet cadiuis sui, dicentes: Scimus quod Christus de se loquitur, dũ dicit: Si quis uenit ad me. Verũ loca habemus uero dei cultui reliquis aptiora, ad hocq; specialiter dicata. Habemus statuta cum regula, quæ plurimũ utilitatis cunctis ad nos uenientibus afferunt, ut synceriores fiant, quam ob rationem, eos qui Deo se uocante, nostro respuunt commercio iungi, Christo dignos esse negamus. Audi seductor, quisquis uerbum Dei adulterans, talia commentaris. Nescis, quia scriptum est Matth. 24. si quis uobis dixerit, ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. Et paucis interpositis adiungit. Si ergo dixerint uobis: Ecce in deserto, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Itemq; Ioan. 4. Christus dixit Samaritanæ: Mulier, crede mihi, uenit hora, quando neq; in monte hoc, neq; Hierosolymis adorabitis patrem. Et post pauca: Sed uenit hora, & nunc est, quando ueri adoratores adorabunt patrem in spiritu & ueritate. Nam & pater tales quærit, qui adorent ipsum. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu &

ueritate oportet adorare. Si hæc uera sunt, quare uis Christum in uno loco magis, quàm alio quæri? Nonne Christus in nobis uiuit, & regnum illius intra nos est? Luc. 17. Deniq; credentes uniuersi præclara Dei uiui templa sunt. Ad quid enim Christianis templa lapidea? Ampla solum tabernacula necessaria sunt, in quibus populus ad Dei uerbum audiendum, & ad mensæ Domini participationem ualeat congregari. Cesset ergo execrabilis adsertio, qua Deum magis in claustro tuo, quàm alibi posse coli adfirmas. Nam quia spiritus & ueritas est, illum in spiritu & ueritate adorare oportet. Ioan. 4. Præterea, nec regulæ, nec statuta, nec quæcunq; hominum figmenta, quæ iactitas & tanti facis, uel modicum quidem utilitatis ad salutē ueram adferunt, quin potius uniuersis Monasticen diligētibus quàm maxime officiunt. Verum de his suo loco, plene cum Dei auxilio differemus.

Vbiq; habet Christū fideles.

Veri Christiani templis lapideis non indigent.

Quòd autem dicis, eos Christo minime dignos, qui deo uocante, uestra consortia nolunt, in promptu responsio est. Primum, quòd Dei tantum adirati talis uocatio est. Secundo, quòd ille Christo dignus est, qui illi soli fidit, eundémque omnibus anteponit: indignus uero, qui plus illo, quoduis aliud diligit. Sed uere nullus minus est Christo dignus eo, qui credit per cucullum & traditiones hominum posse aliquando saluari. Quasi enim alium sibi saluatorem constituit, dum per aliud, quàm per nomen suum se credit posse seruari.

Dei irati uocatio ē, dū quis uocatur ad Monasticen.

Illud deinde sibi impudentissime arrogant: Fili accedens

dens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & praepara animam tuam ad tentationem, Ecclesi. 2. Sua quippe sic magnificiunt, ut aßumere monasticen, hunc adceßum ad Dei seruitutem esse dicant, quasi Deo seruire non possit, qui illam non suscipit. Errant miseri homines, & suarum adinuentionum inuolucris mire sunt excaecati. Porro Dei cultus in corde est, sic & diaboli. Seruus Dei es, dum in illum credis, dum fides in te per charitatem operatur; Diaboli uero, dũ non credis. Adcedit ergo ad Dei seruitutem aut cultum, qui credere incipit, perseueratq; in illa, qui in fidei syncertitate permanet. Proinde abscedit ab illa, & in diaboli transit seruitutem, qui à fidei soliditate mouetur. Adcedens autem ad Dei seruitutem (ait sapiens ille) praepara animam tuam ad tentationem, nẽpe ad crucem, ad labores. Omnes enim, qui pie uolũt uiuere in Christo IESV, persecutionem patiuntur. 2. Tim. 3. Qui credit regnum Dei, id est, uerbum intra se habet. Caeterum Regnum caelorum uim patitur. Mat. 11. Vim igitur sustineat, oportet, quisquis de regno uerbi Dei est, id est, de Christi Ecclesia, quae solo illius uerbo regitur, pascitur, uiuit.

Torquent scripturas.

Quid sit adcedere ad Dei seruitutem.

Ex uniuersis, quae hoc capite posita sunt, haec collige. 1
Nullus Christianus ab Euangelij obseruatione excipitur.

Paupertas & obedientia euangelica cunctis neceßaria sunt, sola autem in coelibatu perseuerantia libera est. 2

Monasticen, aut aliam qualemcunque conditionem nemo licite suscipit, cum se uidet per eam à plena Euangelij obseruatione impediri. 3

Per

4 Per Monasticen, aut aliam conditionem, ab Euangelio impeditus, tenetur prudenter reijcere, quod imprudenter admisit.

5 Hæreticum est adfirmare quod de Monastice debeant intelligi sententiæ istæ, ac similes: Qui amat patrem aut matrem &c. Si quis uenit ad me et non odit patrem &c. Fili adcedens ad seruitutem Dei &c.

DE VERA PAVPERTATE, CVNctis necessaria. Caput VI.

PAupertas Minoritarum, si est Euangelica, profecto per Euangelium intelligẽda est. Plurimi enim casso labore sudarunt, ut palam facerent, qualis esset, dum absq; Dei uerbo, suas adinuentiones pronunciarunt. Huiuscemodi autem adinuentiones, Deo esse odibiles, tradunt lex & prophetæ. Hanc idcirco paupertatem qualis sit, CHRISTI fit sermone notissimum. Matt. 5. Beati pauperes spiritu: Et iterum Lu. 14. Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus. Itemq; Matt. 19. Si uis perfectus esse, uade & uende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & ueni sequere me.

Omnibus Christiãis paupptas necessaria est.

Vides qualem esse oporteat paupertatem, omnibus prorsus Christianis summe necessariam. Omnibus dico, quia non solum Minoritis, quicquid garriant impij Sophistæ, qui eandem fidelibus consilium esse, pernitiosissime commentantur.

ne commentantur. Nunquid pro solis Minoritis Euangelium est reuelatum? Absit. Ergo pro omnibus est. Nunquid ipsi soli sunt illi CHRISTI discipuli, qui omnibus quæ possident abrenunciant? Aut nunquid ipsi soli, sunt illi perfecti, qui omnibus quæ possident, pauperibus distributis, CHRISTUM sequuntur? Quid igitur sibi uult stulta & semper garriens illa multitudo, quæ toties iactat, Discipuli CHRISTI, Discipuli CHRISTI, Euangelici, Euangelici, Status perfectionis, Status perfectionis? Quare quod omnium est sibi impudenter usurpât, homũtiones isti, se præ alijs pro CHRISTI Discipulis, Euangelicis, perfectisq; uenditantes?

Ille CHRISTI discipulus, ille Euangelicus est, qui illius doctrinam, ac iussiones sacratissimas diligit. Ille perfectus, qui ad id nititur, ut sit sicut magister eius, Matt. 10. & Luc. 6. Cuius Christus perfectio est, sicut iustitia. Sed quis potest esse ut CHRISTUS? certe qui per Christi fidem filij Dei efficiuntur. Io. 1. Qui discunt ab illo mites esse, & humiles corde. Matt. 11. Qui cum omnia benefecerint, dicunt non in mẽdacio, & hypocrisi, sed in ueritate, quia serui inutiles sunt. Luc. 17. Qui floccipendunt iustitias hominum, itemq; opera, his demptis quæ à iusticia fidei proficiscuntur. Quoniamquidem eorum iusticia CHRISTUS est, qui in eis nunquam bona non operatur. Sed iam ad rem ueniamus.

Quid sit esse pauperem spiritu, totum ultima dictio pandit. Namq; à spiritu consideranda est. Non enim omnis

Pauptas spiritus quid est.

mnis

mnis pauper beatus est, sed qui est spiritu pauper, ille est uere beatus. Vide igitur ne tibi uidearis spiritu diues, inflatus, superbus. Vide ne dixeris in corde tuo, diues sum, & locupletatus, et nullius egeo, cũ sis ex te cæcus & pauper & nudus. Apoc. 3. Noli scientijs aut diuitijs, in uanitate & abusione adfici, nã stulte his cor adponere, est spiritu diuitẽ eße. Vera autem paupertas spiritus, est nulli prorsus re affici, sed ut creaturis pauper sis, creatore diues: falsis diuitijs pauper, locuples ueris. Pauper non poßeßione terrena, sed adfectu terrenorum.

Quid sit, omnibus poßeßis renũciare.

Paulo deĩde profundius, id ĩquiramus. Spiritu pauper est qui poßeßis omnibus abrenunciat. Poßidere licite potes terrena, uerum sic, ut semper illis abrenuncies, id est, nõ illis adficiaris. Poßide et simul abrenũcia. Noli illa diligere plus quã oporteat, hoc est, nõ nisi in Christo, q̃dquã ames, neq; alioqui eisdẽ utaris, qđ docet te spiritus Domini uerbo suo. Quod si nihil poßides, etiã operare manib. tuis quod bonum est, ut inde aliquid habeas, quod largiri poßis neceßitatem patienti. Ephe. 4. Vt omni petenti te, tribuas. Luc. 6. Nam quid tribues, si nõ habes? Poßeßioni igitur renunciare nõ præcipitur, sed rebus poßeßis. Vt diuitijs, si adfluxerint, cor non adponas. Psal. 61. Vt dispensatorẽ agas non dominum, ut omnia illius eße agnoscas, cuius est orbis terrarũ, & plenitudo eius. Psal. 23. et 49. Sciens te incursurũ horrendum illius iudicium, si in dispensatione eorũ quæ poßides, fidelis nõ fueris adinuentus. Ergo sic poßide terrena, ut simul illis abrenũcies, paratus

ratum etiā uniuersa, distribuere egēis, si causa expostulet.

Sic & illud adcipitur. Si uis perfectus esse, Vade &c. Perfectus est omnis Christianus, cuius CHRISTUS perfectio est. Tu si uis perfectus, id est, Christianus, non Monachus esse, uade, non corpore, sed mente, & uende omnia quae habes, ut interne iam omnibus abrenuncies, paratus etiam externe cuncta uendere, proximi necessitate urgēte. Promptitudo quippe uenditionis apud Deum uēditio habetur, cui futura, haud secus ac praesentia sunt.

Quis perfectus.

Quomodo intelligitur. Vade & uende omnia.

Vadit igitur & uēdit, qui semper uendere paratus est. Hic est germanus & uerus, huius loci sensus. Si uis ut ego sim perfectio tua, qui ex tuis operibus non uales esse perfectus, uolo ut sic à terrenorum quae possides adfectu sis alienus, ut illa quantum opus est egētibus administres, atq; etiam si proximi necessitas id expostulauerit, sis paratus cuncta diuēdere, illisq; partiri. Tunc demū sequere me, in me plene fidens, quod te nunquā sim deserturus. Quod et Paulus. 1. Timo. 6 diuitibus iubet pronunciari, dicens:

Diuitib. huius seculi, praecipe nō sublime sapere, neq; sperare, in incerto diuitiarū, sed ī Deo uiuo, q praestat nobis oīa abūde, ad fruēdum, bene agere, diuites fieri bonis operibus, facile tribuere, cōmunicare, thesaurizare sibi fundamentū bonū in futurū, ut adprehendant bonā uitā.

Scio quod Papistas, haec scripta scandalizabunt. At sinendi sunt, quia caeci, quia haeretici. Vides enim apertissime quantum aberrarint, manifestissimos scripturae sensus tam foede adulterantes, tātiq; faciētes pharisaicam

Obstinati Papistae caeci & haeretici.

illam

illam monasticen, ut ad illam tantum sermones meos transtulerint. Tametsi in ueritate, omne monachorum genus (demptis paucis electis) ab hac Euangelica paupertate sit alienissimum.

Studia & facta apostatici regni.

Prædicent ergo Sophistæ, ut uolunt, somnia sua, dicãt paupertatem consilium esse. Eorum deniq; sententias cõfirmet Antichristus, interea in suo regno omnẽ rapacitatem admittens. Diuẽdat ille beneficia, id est, maleficia sua, & alijs ut idem faciant, precio adcepto, scelerata perditionis diplomata concedat. Decreta constituat, quo sub sanctissimo Dei nomine, omnes ferè Canonicorum, ac collegiorum domos usurarias faciat, sed quas admittunt usuras, interim pensiones appellet. Abneget Christi uerbũ & paupertatem Euangelicam Christianis esse necessariam. Surgant monachi, & se Mariæ partem optimam elegiße, atq; obseruare mentiantur. Inter se quoq;, qui eidem parti sint uiciniores, superciliose contendant. Obijciant singuli in hypocrisi, quod uolunt. Cartusiani solitudinem: Minoritæ, Euangelium: Carmelitæ, antiquitatem, & sua quisq; mendose & arroganter iactitet. Futurum est aliquando, ut has diaboli facies disperdat CHRISTVS gladio oris sui. Fiat, fiat.

DE CASTITATE EVANgelica. Caput VII,

Minoritarum demum castimoniam nullus adfirmet esse Euangelicam, nanq; Euangelio minime consentit.

sentit. Iam satis dictum est; Dominum fecisse liberam perseuerantiam in cælibatu, ideo non habētibus donum, remedium tribuit, nempe honorabile cōnubium in omnibus, torum immaculatum. Hebræo. 13. At libertas hæc per Monasticen est cōtra Dei uoluntatem adempta. Obijcient scholastici, quod uotum adcessit, quibus facile respondebitur, si rei promissæ, itemq; promittentium, conditio attendatur. Promissum donum est, quod tantum habēt, qui à Deo adceperunt. Eum autem, qui non adcepit, certum est non habere. Quomodo ergo promittet, quod non habet? Quod si promittit, certe exhibere non poterit, quantumcunq; coram hominibus se castum mentiatur. Temerariū ergo est uouere, qd' præstare nō possis.

Matrimoniū. est remedium ustorum.

Non habens donum non licite uouet.

Si dicis. Orabo, & exaudiar, quid facies si non exaudiris? Non exaudit dominus præter id quod precaris per Spiritum eius. Sed quomodo precaris per Dei Spiritum, ut impleas, quod contra illius uoluntatem & Spiritum promisisti? Namq; orditus es telam, & non per Spiritum eius. Talibus quippe dicitur illud Esaiæ. 30. Veh filij desertores, dicit dominus, ut faceretis consilium, & non ex me, & ordiremini telam, et non per Spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum, qui ambulatis ut descendatis in Aegyptum, & os meum non interrogastis. Vides quod filij desertores & maledicti sint, qui non per Dei Spiritum, fecerunt concilium, et aliquid incœperunt, Quod autem non fit per Dei spiritum, opus diaboli est. Quale est opus uouentium castitatem, quam nun-

Impie à Deo qs petit, ut impleat, quæ cōtra illius uerbum cœpit.

Vsto, uouere cæliba-

tũ ꝑpetuũ opus diaboli est.

quam præstãt, Si enim opus CHRISTI spiritus esset, ipse in eis perficeret quod cœpit. Si ergo opus diaboli est, quomodo illud consumabit Deus? Nam quæ participatio Christi ad Belial, operis Christi, ad malitiã diaboli? Trãsfigurauit se ille in angelum lucis, & seduxit eos, & fecit ut descenderent in Aegyptum .i. Monasticẽ tenebrosam, in qua nihil omnino ueri luminis splendet. Super hoc autem, os domini non interrogauerunt. Os domini interrogant, qui illius uoluntatem, per uerbum suum agnoscere quærunt, quod illi minime fecerunt. In ea autẽ Aegypto, peccatum super peccatum addiderunt. Nimirum præceptis et traditionibus hominum miserrimas conscientias uinciunt, quibus peccata absq; numero multiplicantur. Quis enim sufficeret describere quæ ex his fæcibus mala scaturiant? Tantum si de castitatis stulta promissione, quæstio sit, quot inde mala proficiscãtur, quis enarrabit? Verum enim uero labellum nunc digito compescam, propter pusillos et simplices, ne offendantur.

Votũ ustorũ impossibile est, ideoq; nullum.

Vstis deserenda monastice.

Habes iam, quòd castitas, donum Dei est, habes etiam, quod qui non habet hoc donum, promittere nequit. Qui autem promittit non habens donum, rem sibi impossibilẽ promittit, ut scilicet det quod non habet, quod opus diaboli esse nemo sanæ mentis est, qui ambigat. Propterea quisquis sic castimoniã uouit, sciat, eo uotum suum irritum factum, quo contra CHRISTI spiritum, diabolo suggerente, rem sibi impossibilem uouit. Deserat ergo Monasticẽ ut saluus fiat. Alioqui quomodo saluabitur, semper in

impu di

impudicitia, uel saltem animi, manens? Habet remedium quod ille tradidit, qui nostrum figmentũ agnouit. Ducat uxorem & familiam nutriat, in timore domini. Carnalia uidebũtur hæc, sapiētiæ carnis, quæ nescit quæ Dei sunt, quæ nec habet, nec habere q̀dem potest, iudiciũ rectum. At prudentiæ spiritus, placebit iudicium ueritatis.

Nouerat Paulus, futuros esse, qui plus sapientes quã oporteret, nollēt sapere ad sobrietatē, qui prohiberent cõiugia legitima, unde putidissima supra numerũ scorta, quin et nephandissimas libidines multiplicarent. Propter quod, primæ ad Ti. 4. ait. Spiritus autem manifeste dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam á fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi, loquentium mendacium & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, et abstinere à cibis &c. Quæ uerba fuisse adimpleta, nullus intelligens ignorat. Ex quibus liquet quod castas prohibere nuptias, ab infidelitate et conscientia cauteriata procedat, sitq; error, Satanæ dogma, hypocrisis, mēdaciũq;. Propterea primæ ad Corin. 7. ait. De quibus scripsistis mihi, bonum est homini mulierem non tangere. Propter fornicationem autem, unusquisq; suam uxorem habeat, & unaquæq; suum uirum habeat. Vxori uir debitum reddat: Similiter & uxor uiro, Et iterum: Dico autem non nuptis & uiduis, bonũ est illis, si sic permanserint, sicut & ego. Quod si se non continent, nubant. Melius est enĩ nubere quàm uri. Qui posteaquam eodem capite nõnihil

Contra prohibitionem coniugij.

de coelibatu disputauit, timens ne quispiam existimet, se coniugium damnare, quod antea probauerat, aut ad coelibatum quenquam non habentem donum impellere uelle, adiecit. Porrò hoc ad utilitatem uestram dico, non ut laqueos uobis inijciam. Et rursum: Non peccat, si nubat.

Veh ueh, tot maledictis hominum traditionibus, quae nihil ad rem faciunt Christianam, sed tantum laqueos inijciunt, quibus peccata absq; numero perpetrantur. O utinam nosset uniuersus orbis, qualis sit filiorum Dei sacrosancta libertas, in quam per CHRISTI gratiam translati sumus. Tunc certe eliminarentur, omnia stulta hominum commenta, & uera fides, in terra, heu penè obliterata, plurimum augeretur, quae proculdubio, ad uniuersa charitatis opera, pro diuini spiritus libertate foret efficacissima. Continerent libere, quibus datum esset, reliqui immaculatum coniugij torum eligerent, et sic de quauis reliqua actione. Fides namq; uera, nunquam non est per CHRISTI spiritum operosa. Nam ipse spiritus, quo fidelium corda implentur ociosus esse nō potest. Erudit quippe illos, & semper cooperatur eisdem.

Dissuadendum est ideo Christianis, ne fiant aliquādo serui hominum, 1. Corin. 7. ne se hominibus quocunq; uoto adstringant, sed liberi in Christo permaneāt semper. Quis, obsecro, uouentium castitatem, perseuerantia nō magis habet incertitudinem, quàm certitudinem? cum haud secus naturale sit homini generare sibi simile, quā manducare, & bibere. Proinde impossibile est cōtinere, his demptis

his demptis, in quibus Dei spiritus supernaturaliter agit, et quod à natura est, mortificat siue immutat. Dabit huic Deus, ut perpetuo contineat, alij ut ad aliquot annos, alij nec ad annum quidem, posteaquam naturalis uirtutis aliquid habet. Si uoues castimonium anno. 10. quid scis an donum habebis anno. 20. uel. 30. Etiam si precaris illum, forsan non sic expedit tibi. Nam quis dei iudiciorum abyssum profundissimam nouit? Non uult ut hoc donum habeas, quia superbus es, aut alia (quam solus ipse intelligit) ratione. Mauult per te pacis filios generari, qui nomen suum semper glorificent.

Quid sit, & quorum sit, perpetuus cœlibatus, facile conijcies, si diligenter perspexeris Christi sententiam, Matt. 22. In resurrectione, neq; nubent, neq; nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cœlo. Et Luc. 20. filij huius seculi, nubunt & traduntur ad nuptias: illi uero qui digni habebuntur seculo illo, & resurrectione ex mortuis, neq; nubent neq; ducent uxores, neq; ultra mori poterunt, æquales enim angelis sunt, & filij sunt Dei, cum sint filij resurrectionis. Ex his apertissime uides, Primo, quod nuptiæ huic seculo conueniunt, Secundo, quod seculo futuro non competant. Tertio, quod non nubi, neq; nubere, neq; in carne moueri, non ad terræ, sed ad cælorum habitatores attinet, qui angelis Dei æquales facti sunt. Quarto, quod quamdiu in carne mortali uiuimus, fragiles & proni ad incontinentiam sumus, sed hæc in resurrectione euacuabuntur, in qua non nubent, neq; nubentur. Liquet iam

 ex prædictis

ex prædictis, q̃ si quis uult uouere cœlibatũ, oportet quòd certus sit, se accepisse munus illud castitatis à Domino, quale in resurrectione electis tradetur, quodq́; se sciat factũ quasi angelum Dei. Nam in carne præter carnem uiuere prorsus non est humanũ, sed angelicum. Non abnegauerim aliquos hoc donum à Domino accepiße, uerum hæc auis rara est. Qui hoc angelicum & resurrectionis munus habent, cælibes erũt, alij uero nequaquã. Profecto impossibile est aliquem cælibem ducere uitam, præter aut eũ, qui hoc munus habet: aut eum, qui tam frigidæ ac penè emortuæ naturæ est, ut nec generare quidẽ possit. Vouent enim plurimi, ut uides, castitatẽ, quam nunquã obseruant O quàm gloriosus est spurcus ille clericorũ cælibatus, nefandas absq; numero impudicitias parturiens fouensq;.

Solus habẽs ctũ resurrectiõis donũ castus eße põt.

Quippe inueniuntur, qui nedũ unum aut duo, sed et multa enutriunt scorta. Sunt quoq;, qui uel anno quolibet illa renouant, ac illis à .16. anno, usq; eorum decimũ octauum seu .20. abutuntur. De masculorũ concubitoribus, & alijs immundicijs, Antichristiana illa ciuitas Roma, cũ alijs innumeris manifestiß. testantur. Profecto nulla unquã arte omnigenæ carnis spurcitiæ amplius multiplicari potuissent, quàm prædictis execrabilibus uotis atq; institutis. Nam quis est, qui non aliquando uratur? qui non sæpe cõcupiscat? Dispereant uniuersæ istæ hominum inuẽtiones atq; mendacia, & sola ueritas ab omnibus sine hypocrisi diligatur. Ego nulla cuculli aut clericatus (ut uocant) habita ratione, dico omnem utriusq; sexus hominem, etiam monachos,

Vide abominatiões.

Conclusio necessaria

monachos, & moniales, qui uruntur, & non habent continentiæ donum, debere iuxta Pauli sententiam, legitimo matrimonio iungi. Qui autem præmissis contradicunt, CHRISTO Pauloque aduersantur. Nulli quippe est uituperabile matrimonium, sed honorabile omnibus. Hebre.13. Si omnibus, ergo monialibus atq; monachis.

Demum, quia secundo capite regulæ ponitur, aliquem ob religionis ingressum, posse ab uxore, cum illius consensu, & Diocesani Episcopi autoritate seiungi, assero, id fore corrigendum, cum Saluator dicat, Matth.19. & Marc.10. Quod Deus coniunxit, homo non separet. Itemq; Matth.5. Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis caussa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat. Et Paulus.1. Corin.7. Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut uacetis orationi. Et iterum: Reuertimini in idipsum, ne tentet uos Satanas propter incontinentiam uestram. Dum dicit, ad tempus, ergo non imperpetuum licet. Nam & si senectutem in quibusdam allegaueris, nihil dicis. Nimirum senes plurimi non se continent. Quod si aliquibus forsan uideatur, quòd in posterum continentia illis facilis erit, sciant, quòd facillime repetunt proprios queq; recursus.

Nō potest diuortiū fieri ob cuiusuis religionis ingreßum.

Denique cum Paulus dicit: Reuertimini in idipsum, non per imperium loquitur, quemadmodum paulo post ipsemet, sua uerba interpretans, testatur. Hoc, inquit, dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Vult nanque eos liberos esse, ut in idipsum

redeant uel non redeant. Verum non uult eos sua liberta te priuari, qua illi priuantur, qui monachismi gratia diui duntur.

DE NOVICIIS, ET ANNO probationis. Caput VIII.

Stulta & impia pbatio nouici orum.

NOuicijs annus probationis à monachis conceditur, ut illi eos probent, atq; ab ipsis probentur. Vere probantur ab eis, non si sint uere Euangelici, sed si suis traditionibus absq; ulla contradictione ad sentiant. Nanq; si uel in minimo dissentiunt, eos sibi inutiles dicunt. Scio, & uere scio, quòd nullum recipere uolunt, qui CHRISTI Euangelium libere profiteatur, immo si probationis anno adimpleto, quempiam Dei misericordia, Euangelicum fieri contingat, non tantum crucem, sed & infernum inter eos sustinebit.

Deuotiones monasticæ.

Deniq; illis nulla traditur Euangelica institutio, sed tantum eos ceremonias, externos mores, & sua figmenta erudiunt. Clamant sæpe, quòd deuoti sint. Verum hanc deuotionem constituunt in precularum catalogis, coronis, psalterijs, quinarijs, denarijs, septenarijs, & similibus. Itidem plangere Christum mortuum, & historias quasdam sine fide tractare, tantum ut CHRISTVM uel hypocritice plangant, et se contemplatiuos esse, egregie coram hominibus mentiantur. De fide syncera, & fiducia in CHRISTVM, de salutari, operum suorum & omnium creatorum diffidentia, de efficacia fidei, de iustitia

Quæ christianos deceant.

iustitia credentium, de iudicio spiritus, de uerbo Dei syncero, de Euangelij necessitate, quòd omnia fiant in nomine Domini, quòd se in Christo plangant, & similibus, uix uel minimum quidem uerbum apud eos unquam auditur. Scholas Euangelij sancti, monasteria esse oportuit, quae tantum animalium uentris foueae sunt. Enimuero, qui in eis recipiuntur, tam graui & penè insanabili ueneno, non multo post inficiuntur, ut super omnes rusticos, fabros, mercenarios, ac quoduis aliud hominum genus fiant à Christi Euangelio alieni.

Si experto creditur, consulo, ut nullus fiat amodo minoritanus, nec Cartusianus, nec aliunde monachus, nisi uelit per omnia à CHRISTO & eius Euangelio fieri alienissimus. Qui uero iam monachi facti sunt, ubi se à Christiana synceritate uident impediri, omnia deserant, & quasi stercora arbitrentur, ut Christum lucrifaciant. Ipsos quoque nouicios, monachos se recipientes probare necessum est, scilicet an tales sint, quales eos fore arbitrantur, quod fieri non potest, nisi mores & facta prospiciāt. Sed impij homines, sic interna sua, id est, impietates, auaritiam, odium ueritatis, inuidiam, murmurationes, detractiones, adulationes, coniurationes, zelantium pro Domino persecutiones, & similia perditionis opera, tam diligenter abscondunt, ut uix quippiam aduertere possint, nisi prius suae probationis annum impleuerint. Nonne, illorum sunt maligni seductores? Oportuit enim eos, quorum perpetuam conuersationem exoptant, fidelissime

Sanum cōsilium.

agnouiße. Alioqui, quomodo iuste ad professionem reci-
piuntur? Profecto tam grauis est ista deceptio, ut etiam si
alia caussa non esset, propter hanc solam, eorum conuer
sationem, & habitum reijcere possint, etiam absque di-
plomate Antichristi Papæ, in similibus enim, non opus
habet fidelis alio diplomate, quàm ut iudicium habeat Ec
clesiæ, id est, duorum uel trium, in ueritate congregato-
rum. Horum certe iudicium præferendum est, non tan
tum illis antichristianis diplomatibus, sed etiam totius re
gni papistici consilijs & decretis. Ad quid tyranno illi,
tot aurei pro similibus quottidie mittuntur? Si quis mi
ratur, quod ita de Romano eidolo loquar, memoretur eo
rum, quæ in Epistola, in libri huius capite posita, tradidi
mus, & solicite inquirat, unde Papatus aduenerit, &
mecum (si rem sanè intelligit) Papam Antichristum esse
adseuerabit.

Non opus habet fidelis Antichristi diplomate.

Ego confidenter, quod sentio, loquar, quod si nouicij,
qui ad monasticen properant, ante professionem, noscēt
lupinum illud uulpinumq; pectus, sub uestimentis ouium
latens, nunquam Minoritæ, aut Carthusiani, aut sectæ cu
iusuis efficerentur. Exeant ergo omnes, qui ingreßi sunt,
antequam profiteantur. Hos ego rem expertus, certio-
res (ut teneor) facio, ne cum hypocritis intereāt. Qui au
tem uolunt ingredi cessent, quiescant, & motū cordis sui
quo solicitātur ad monasticē, opus diaboli eße nō dubitēt.
Demū totam Christiani uitam resipiscentiam, crucē,
tentationem & probationem esse oportet, ita ut semper
dicat

Tota uita Christianorum, probatio est.

dicat illud. Psal. 25. Proba me domine & tenta me, ure renes meos et cor meum, et Psal, 16, Probasti cor meum, & uisitasti nocte, igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas, & Psal. 138. Proba me Deus, & scito cor meum. De credentibus enim hæc uerba capiuntur. Sapi. 3. In paucis uexati, in multis bene disponētur, quoniā Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam adcepit illos, & in tempore erit respectus illorum, Deniq; tota Christiani uita, sicut probatio, sic et Dei seruitus ē, unde ergo habent Monachi probationis annum? Aut forsan aliud Dei seruitium (ut ipsi loquuntur) habēt, quàm cæteri Christiani? Sed Deus, qui semper idem est, idem quoq; seruitium à nobis exigit, nempe fidem, & quæcūq; fides per charitatem operatur. Non habēt ergo aliud seruitium Dei. Quod si omnino Pharisaicum, id est diuisum à cæteris, seruitium se habere adfirmant, pro quo & annum probationis admittūt, profecto non erit Dei, sed aut mundi, aut carnis, aut diaboli, aut horum omnium simul. Nō ergo annū nobis aßignauit Dominus, quo probemur sed annos & omnē prorsus uitā, uoluit esse probationē.

Habitum deinde professorum distinguūt ab habitu nouitiorum, Verū quia quamdiu uiuimus probamur, non est post annum, propter hoc facienda habitus mutatio, sed induātur libere his quæ habent, ne si annū & habitum distinguunt, probationem quoq; et seruitium diuidant.

Eorundem quoq; indumentorum, colorem delege-

runt,

Color habitus minoritarũ in eorum regula minime inuenitur.

runt, quod nequaquam in eorum regula inuenient. Dicunt cinericios habitus habendos fore. Ego liberũ non dubitauerim, ipsis Minoritis, indui quocunque colore, uestimentorum tantum mollitie contempta, sicut decet Christianos. Quod uero de cinericio colore dicunt, eo facilius reijcitur, quòd de hoc nec minimum quidem uerbum, in regula reperitur. Stulte quoque colorem illum, quasi reliquis uiliorem se elegisse adfirmant, cum etiam in pannis bene mixtis, politis, atque nitentibus tam curiosi sint, ut in huiusmodi etiam adulescentularum studia uincant.

Neque sanctus Franciscus eo ornatu eos uoluit uti, cũ etiam ipsis testibus, multa simplicitate tam sibi, quàm socijs suis indumentum fecerit. Neque habebant caparonem usque ad cingulum, propter quod haud crediderim, quæ in eorum regula spectant ad caparonis formam, à diuo Francisco scripta fuisse. Siquidem is, quem deferebat, breuissimus & curtus erat.

Nõ inueniũtur in eorũ regula, q̃ fune cingi debeant

Funibus deinde cinguntur, quo se curiositatis contemptores apertius monstrent. Verũtamen eisdem expoliendis tantum inuigilant, ut uix sit, qui eorum studijs satisfaciat. Suum tamen figmentum est, quod funem pro cingulo habent, cum nullum in eorum regula de fune uerbum inueniatur. Finxerunt sibi forsan grande hoc superbiæ & hypocrisis nomen, ut cordigeri appellentur. At certum est, eos quocunq; cingulo uti posse,

De

DE PROFESSIONIS EMISSIONE.

Caput IX.

ANno ergo huius stultæ probationis adimpleto, professionem emittunt, se demum Euangelicos professores iactitantes, cum Euangelij professio ad uniuersos prorsus Christianos attineat. Hic annota ueris tria esse hominum genera, quæ præ cunctis in sacri Euangelij profeßione gloriantur, quibus uere nullus Euãgelio minus consentit. Primum, Laruati Episcopi, solo nomine pastores, re autem lupi rapaces, & eidola mũdi, quemadmodum habetur Zacha. 11. Et dixit Dominus ad me: Adhuc sume tibi uasa pastoris stulti, quia ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non uisitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id quod stat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & ungulas eorum dissoluet. O pastor & eidolum derelinquens gregem. Gladium super brachium eius, & super oculum dexterum eius. Brachium eius ariditate siccabitur, & oculus eius tenebrescens obscurabitur. Quæ uerba de Romano primum, deniq; de reliquis præscriptis eidolis, haud dubium est, intelligi oportere. Verum illorum expositionem in nostris in Zachariam commentarijs tradidimus.

Omnes Christiani sunt Euangelij professores.

Tria genera pseudo euangelicorum.

Aliud genus, Scholastici, id est, falsissimi Theologi. Tertium, Minoritæ. Horum priores & factis & calumnijs fucatissimis CHRISTI Euangelium nunquam

non

non impugnant. Alij grunnientes, uidelicet Sophistæ, quo suis garritibus pro Euangelio (ut palàm mentiuntur) insaniunt, eo solidam illius ueritatem adumbrant, dulcedinemq; euacuant. Postremi, speciem quidem pietatis nō nullam externe prætendunt, sed si inter eos quæsieris, qd Euangelio consentiat, nihil inuenies.

Votū obedictiæ monastices ē pernicio siss.

Qua demum ratione nouitios ad obedientiam (ut sermonibus dictæ regulæ utar) recipere necesse est? Etenim obedientia, ad quam recipiuntur, aut est Dei, aut hominum propter Deum, aut hominum contra Domini uoluntatem, siue Diaboli. Si Christianus est, qui ab eis suscipitur, in Baptismate, ad Christi, & omnium propter CHRISTVM, obedientiam & subiectionem fuit receptus: omni autem impiæ obedientiæ, reproboq; imperio abrenunciauit, Diabolo scilicet & pōpis eius. Vt quid ergo iterum recipitur? Profecto si receptio prima sufficiebat, secunda superfluit, immo secunda derogat primæ. Per primam nanq; subiectus fit Christianus, omni humanæ creaturæ propter Deum: per secundam uero, non iure, sed facto, sic quibusdam subijcitur, ut à communi aliorum subiectione eximatur. Tot planè exemptiones, & priuilegia à suo Antichristo adcumulant, ut per hoc indubie à catholicæ Ecclesiæ communione diuidantur. Nā hodiernus monachismus Christianæ obedientiæ manifestißima reiectio est, cum subiecti eße nolint alijs, quàm suis eidolis, & capitibus stultis.

Ad castitatis etiam uotum, nemo est recipiendus.

Quis

Quis enim certus est, perpetuum castitatis se adcepiße
donum? Sed neq; ad paupertatis promissionem, quis li-
citer accipitur, ad quam uniuersi tenentur. Quippe ne-
cessariorum, & superflua & pernitiosa sponsio est. Aut
nunquid per uotum perfectiori alicui paupertati, quàm
sit Euangelica, te adstringes? Ad paupertatem Euange
licam à baptismate obligaris, quam ergo nunc uoues?
Certe non habes, quam prodas, præter laruatam illam, hy
pocriticam & rapacem. Deseruisti ueram & sanctam,
dū impiā admisisti. Verū de his abūde suprà tractauimus.

Necessariorū stulta promissio est.

Igitur quisquis utriusq; sexus ad prædicta fuit uota re
ceptus, sciat se illicitā & inutilem promissionem emisiße,
& ab ea secta egredi sibi liberū fore, ob id quā maxime,
quod in regula ponitur. Et nullo modo licebit eis de ista re
ligione exire iuxta mandatū domini papæ. Spiritu quippe
sancto dirigente factū est, ut id fuerit adiectum, iuxta mā
datum domini papæ. Quasi dicere uelit: Hoc nō tibi dixe
rim, secundū mandatum dei, sed Papæ. Quis autē Papa,
nisi homo peccati? nisi Antichristus? Iuxta mandatū dei ti
bi exire licet, iuxta mandatū Papæ nequaquā. Tu iudica,
cui parendum sit, homini an Deo? certe Deo. Propte-
rea ad mandati papistici confirmationem, inconsulte de-
torsit hoc Saluatoris dictum, Luc. 9. Nemo mittens ma
num ad aratrum, & adspiciens retro, aptus est regno
Dei. Quod non de abrenuciantibus Monasticæ, sed de
Christi fidem abnegantibus intelligendum est.

Nulla sūt uota monastica.

Heu, heu, quot milia utriusque sexus perdita sunt

Pereunt in numeri, propter monasticē. propter impiam & maledictam Monastices professionē. Vouent enim, quod nesciunt, nunquam uotum obseruaturi. Habet aliquis improbus gloriæ huius sæculi appetitor, filios plurimos, è quibus duos aut tres, aut plures quãdoque, impellet omni arte ad Monachismum, quo reliqui maiore hæreditate donentur. Alius dum complures filias habet, ut unam aut duas alto constituat loco, cæteras, aut quid agant nescientes, aut nolentes, monasteriorum ergastulis infernalibus constringet. Væ scelestissimis istis homicidis.

Parentes homicidæ. Profecto suæ proli grauius obficiunt, quã si eos gladio interimerent, aut etiam uiuos sepelirent. Tũc enim illorum tantum corpora perderent, quorum & animas & corpora per monasticen perdunt.

Non uides crudelissime prolis interemptor, quòd pereunt? Tantum enim doctrinas & mandata hominum sic discunt, ut Christi necessaria quæcunq; uerba dediscãt. Libertate Christiana priuantur: fiunt serui hostium ueritatis. Nullam habent institutionem, quæ non ad superstitionem, aut hypocrisin pertineat. Cogis eos ad omnigenam luxuriem, ad libidines nefandissimas, & quæ etiam omni fornicatione, adulterio, incæstu grauiores sint.

Hoc est, quod maxime urgeo, quia nullus castus esse potest, nisi donum adceperit. Hoc autem donum, nõ est in manu nostra, non est uolentis, neq; currentis, sed Dei miserantis. Vt quid igitur filij, aut filiæ monasterijs intruduntur?

Paulus primæ Timo. 5. uult omnes adolescentulas, ocio-

sas,

ſas, uerboſas, curioſas, & quæ non oportet loquentes (quales fere ſunt omnes Moniales) nubere, filios procreare, matres familias eſſe, tu autem illas, etiam nolentes ad omnem immunditiam cogis, dum in Monaſteria trudis. Profecto ſatius illis foret, etiam ſi principum et comitum filiæ eſſent, quibusuis, etiam ruſticis & agricolis, cõiugio tradi. Erras profecto, & peris tu ipſe cum prole tua. Dicis, quod eam CHRISTI feceris ſponſam, cum uere fœdiſsimũ Diaboli potius ſcortum facta ſit. Nulla enim eſt CHRITSI ſponſa, præter Catholicã, nõ Papiſticam, Eccleſiam, & omnem animam ſyncere credẽtem. Arroganter ergo ſibi ſponſæ CHRISTI gloriam uſurpãt, ſpurciſsimæ illæ mulierculæ, cum nihil minus ea re ſint. At coactæ ſunt & deceptæ. Miſerendum profecto illarũ eſt, & modis omnibus agendum, ne à CHRISTO, de quo ſtulte gloriantur, ſeparentur in æternum.

Non Chriſti ſponſæ ſed diaboli ſcorta.

Veh tibi Roma, ueh tibi Mediolanum, ueh tibi Lutecia, ueh uniuerſis ciuitatibus orbis terræ, quæ talia diaboli proſtibula, id eſt, utriusq; ſexus Monaſteria ædificatis, & illarum plurima ampliſsime dotatis, in quibus miſeras nobilium ac diuitum filias recluditis, & filios ueſtros etiam pueros tenellos, in terrendis inferni portis, ſcilcet hodierna Monaſtice, ſepelitis. Arbitramini fortaſsis uos acceptum deo præſtare obſequium, cum nihil deteſtabilius, rem intelligentibus, eſſe poſſit. Euertite tot ſatanæ cõuenticula, his demptis, in quibus, dum liberæ ſunt, libere Monaſticen deſerere poſſunt. Nihil enim condemnauerim, ſi

Monaſteria diaboli proſtibula.

Inferni porta Monaſtice.

ea libertas in Monasterijs omnibus esset, ut qui libere uellent permanere, sustinerentur, qui autem nollent, libere etiam egrederentur.

Qualiter Moniales instituì oporteret.

O quàm præclarum, et religioni Christianæ salutare foret, si Moniales diuæ Claræ, et reliquæ, sic īstituerētur. Primum, quod hunc scopum sibi constituerent, docere scilicet in illis Christianorum filias, purissimum uerbum Dei, euangelium CHRISTI, itemq; artem aliquam, ne uiuerent ociosæ. Quamdiu essent in Monasterio, seiunctæ manerent à uiris. Inculcaretur quoq; eis sacrosancta CHRISTI libertas, ne forsan quicquam perperam agerent. Prædicaretur etiam eisdem, quod si non habēt castitatis munus, licite in monasterio perseuerare nō possint, quod libere egrediantur, uirum quærant, quia melius est nubere quā uri. Et Pauli ministerio iubet Dominus, quod qui se non continent nubant. Deniq; nihil erubescerent, quia sanctū coniugium, est torus immaculatus, uniuersis honorabilis. Itēq; si proximi necessitas expostularet, nihil negligerent. Quod si dicis. Nulla inueniretur, quæ perseueraret. Certe nihil dicis, quia etiam nisi donū castitatis habeant, nunquam perseuerabunt coram domino, quicquid externe uideatur. Nihil faciunt portarum clauiumq; multitudo, & quæcunq; clausuræ, aut uerbera, aut minæ, si donum non habent. Tantum id agunt, ut earum hypocrisin foueant, ut ostentent castitatem, quam non obseruant. Melius esset, ut omnes, posteaquàm nubiles factæ sunt, egrederētur. At dices, quæ tunc esset Abbatissa,

Nisi habueris donū castitatis, nihil tibi facient domorum clausuræ.

tissa, quae Priorissa? Viduae aliquae timentes dominum, erudite, sexagenariae, uetulae, et plurimum expertae, tunc iunioribus oportune praeficerentur. Sic arbitror Annam illam prophetissam filiam Phanuel & uiduam, Luc. secundo. Iunioribus secundum legem instituendis fuisse praefectam. Namq; si mulier sancta, ut ibidem dicitur, uiso Saluatore de illo loquebatur omnibus, qui exepctabant redemptionem Israhel, non dubium est, quin sui sexus iunioribus, eruditionis uerbum proponeret, maxime cum de templo haud quaquam abiret.

Noui, quod si haec nostra scripta, in manus quarundam seductarum monialium peruenerint, dicent haec esse heretica, nempe quae Antichristi decretis & Synagogae Satanae. i. regno Papistico non conueniant. Dicent se castas esse, sed uere non sine mendacio. Illas nunc côuenio, & interrogo, & respondebunt mihi corda & adfectus earundem. Quae uestrum (iuniores alloquor) non aliquando mouentur, & uirum saltem desiderant? Praetereo de spurcicijs reliquis, quidpiam scribere. Vos scitis. His autem, quae in diebus suis processerunt, dico: Quae ex uobis non aliquando uirum concupiuit? Quae non fuit quandoq; immunda? & caetera. Quam non poenituit quãdoq; professionis emissae, dum uideret se non posse quod uouerat obseruare? dum conspiceret, inuidiam, contentionem, detractiones, et similia, in coenobijs abundare? Nô abnego, coelibatus donum aliquibus fuisse côcessum,

ſed uere tales pauciſſimæ ſunt. Proinde ſexus ueſter maxime fragilis eſt.

Agite quicquid uolueritis, non poteſtis negare, uos eſſe tentatas, & in uirorum concupiſcentia eſſe. Veſtros enim affectus, teſtantur, quæ externe patent. Literas enim ſcribitis, plenas ſententijs mire adlicientibus ad uos amandū. Replicatis totiens: Dulcis IESVS. Sed uidete quid uobis in corde dulceſcat, an IESVS, an uiri, ad quem ſcribitis ſexus? Non narro fabulas, ſed ueritatē. Scio enim quid loquar. Scribitis, præcipue monachis, literas penè uerſus ſexaginta uel centum quandoq; habentes. Summa autem totius ueſtræ ſcripturæ, id tantum pandit, quia diligitis eos. Tametſi, uultis eam dilectionem putari, diuinā, ſpiritualem, ſanctam, quæ omnino nihil minus eſt. Sed id non omnes obſeruant, niſi qui & rem & mores expendunt, ſicut fateor me ſæpe feciſſe, & abominatus ſum, nouit Dominus. Tranſmittitis munuſcula, coronas, denarios, imagines, ſudariola, ſericeos funiculos, pro librorū folijs ſignandis, & ſimlia. Libenter habetis, quod ueſtri memorentur, quod nomina ueſtra apud ſe, ueſtra etiam manu ſcripta ſeruēt. Abſentibus ſcribitis, quod dum præſentes eſſent, illorum eloquia, uobis ſuauiſſ.ma eſſent. Libēter eoſdem alloquimini, & ſuaues riſus et cachīnos inter loquendum effunditis, ET RELIQVA. Quorſū hæc ó paupercule et deceptæ? Nōne ueſtrorū cordiū aperta teſtimonia ſunt? Parco multis, ne uidear in uos malignari.

Heu mihi infeliciſſimo, qui olim ſeductus & cæcus, innumeros

numeros utriusq; sexus, sub Dei nomine sanctissimo, ignorans quid facerem, seduxi. Hortatus sum plurimos ad Monasticen & ad perseuerantiam in eadem. Peccaui, & supra quàm dici possit, mēte discrucior, expauescens, me fuisse causam innumerabilium peccatorum. Veruntamen non desperabo, sed Deo propitio illustratus, ac Monachismi hypocrisin mēdaciaq; intelligens, errata mea pro uiribus reparabo, & ueritatem non abscondam, quam Deo miserante agnoui. Etenim ueritatis enunciandæ mihi necessitas incumbit.

Ideo, primum reuoco omne consilium, quod cuilibet uiuenti unquam dedi, si his quæ hoc libello scripta sunt aduersantur, obsecrans omnes quos, uel quas tam pernitiose seduxi, ut mei peccati obliuiscantur. Ignorans quippe, & credens adceptum Deo præstare obsequium, id feci. Secundo hortor uniuersos parentes, cognatos, et amicos, quorumuis utriusque sexus, qui Monasticen elegerant, ut libenter habeant, quod omnes qui uoluerint, à Monasterijs egrediantur, immo iuuent illos, quoniam ad id in ueritate tenentur, non obstantibus omnibus bullis Antichristi Papæ. Patres autem & cognati adcipiant suos in charitate CHRISTI, alioqui sciant se cum illis in æternum ïterituros. Nā si non possunt uiuere casti in Monasterio, egredi tenentur, & legitima inquirere matrimonia. Tradant puellas nuptui, & sciant eas mulieres esse, ad idq; esse tam naturaliter inclinatas, sicut ad reliqua necessaria naturæ. At naturæ quis resistere potest? Si nō comedis

 aut bibis

aut bibis, nunquid uiues? Sic profecto qui non habet donum à Deo, castus esse non potest. Namq; si non habet immaculatum coniugij torum, nunquam non maculatus erit. Tertio omnibus qui non habent donum, consilium do, ut egrediantur, & id quidem liberrime, ne pereant. Discant manibus suis operari. Christianum enim operosum esse oportet. Sint Patresfamilias, Matresfamiliasq;. Si puellæ nobiles sunt & sponsos nobiles haudquaquam inueniunt, rusticis adiungantur. Melius est enim rusticum habere coniugem, quàm in incontinentia & Dei iracundia perseuerare. Deniq; apud Deum nihil facit, carnis nobilitas. Nam melius est habere rusticum timentem DOMINVM, quàm impium regem.

Nota de Apostatis.

Quod si te apostatam dixerint, eo libentius hanc iniuriam sustine, quo mendacium est. Matthæi. 5. Beati estis cum maledixerint uobis homines, & persecuti uos fuerint, & dixerint omne malum aduersum uos, mentientes, propter me. Mentiuntur enim, quia apostatare non est seiungi, à malignantium conuenticulis, sed à domino. Eccle. 10. Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo, quoniam ab eo qui fecit illum recessit cor eius. Et Ezechi. 2. Mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices quæ recesserunt à me. Vides hic quod apostata, est qui à Deo recedit. Non est ergo apostata qui pharisaicum monachismum contempsit.

Quid apostatare.

Scio

Scio quòd me & omnes, qui monachismum deserunt excommunicatos ab Antichristo pronunciant. Verum id nos consolatur, quòd si Deus pro nobis est, nullus nobis contrarius esse potest. Antichristiana quoq; maledictio nobis CHRISTI benedictio facta est. Psal 108. Maledicent illi, & tu benedices. Demum quid ueris Christianis gratius esse potest, quàm excommunicari, id est separari à regno Babylonico Papistarum? sicut illis imperat Dominus Apoca. 18. Exite de illa, nempe Babylone, populus meus: & ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius ne adcipiatis: quoniam peruenerunt peccata eius usq; ad coelum: & recordatus est Dominus iniquitatum eius. Excommunicamur igitur & separamur per quàm libenter à regno papistico, scientes quòd à Deo sit excommunicatum & maledictum.

Ne autem quispiam posthac suspicetur, me ficte in hoc negocio procedere, ut semel libere in CHRISTO loquar, nomine ECCLESIAE sanctae DEI aduersum Papam & regnum suum, id est, omnes suis impietatibus, decretis, bullis, inuentionibus adhaerentes, pronunciabo sententiam diuinae excommunicationis, aggrauationis, et reaggrauationis (ut aliquando eorum uocabulis utar) & nisi resipuerint, aeternae maledictionis, etiam cum saecularis brachij inuocatione, ut egregie circunloquuntur. Sentētia et iudiciū cō tra regnū apostaticū

EXCOMMVNICATIO REGNI apostatici Antichristi.

PAlam sit uniuersis in CHRISTVM syncere credentibus, quòd Papa est Antichristus ille, qui tot sæculis omnes ferè Christiani orbis populos seduxit, et à Dei uerbo fecit quàm maxime alienos, propter quod extra credentium communionem positus est, & à Deo reiectus, cum toto regno suo, id est, Cardinalibus, Episcopis, monachis utriusque sexus, ac alijs id genus eidolis & fæcibus mundi, qui eidem Antichristo adhærent. Qui etiam cũ omnibus suis sunt ueri & ipsissimi Apostatæ, q̃ à Domini nostri IESV Christi regno se diuiserint, aggrauati, & reaggrauati, id est, semper crimina criminibus adiungentes, propter quod à Christo maledicti sunt, & nisi resipuerint, in æternum peribunt. Inuocamus autẽ brachium sæculare, non secundum morem regni papistici, ut contra illos surgant, cum gladijs, fustibus & armis, sed per charitatem Dei, omnes terræ Principes & magistratus admonentes, ut ab illius regno, se quantocyus diuidant, & nulla occasione illi participent, ne cum illo pariter intereant. Sic enim fiet, ut contemptum ab omnibus, sine armis, bello, & manu dissoluatur, sicut Daniel sanctus prophetauit. Dan. 8. Et contra principem principum consurget, & sine manu conteretur. Quia enim cõtra Deum surrexit, & rapinam arbitratus est, ut se in terris Deum faceret, ut illum euertat, non in exercitus fortitudine, sed sine manibus, id est, potentia humana, uult illum per solum uerbum suum conteri, & penitus euerti. Quia ergo à Deo excommunicati sunt, fugiant omnes illum

Excõmunicatio.

Aggrauatio.

Reaggrauatio.

Maledictio.

Brachij sæcularis inuocatio.

Participãtes excõicantur.

lum, cum uniuersis, qui sunt de regno eius, nisi cum illis simul perire uelint.

Placet, quia semel incœpi, ostendere, quales sint ueri Apostatæ, qui ueritate contempta, Antichristo cohærēt. Hos describit Salomon Prouerb. 6. Homo apostata, uir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat. Primum, ut iam uidimus, ideo apostata est, quia Deum spreuit atq; postposuit. De relinquens autem deum, ab illo quoq; derelinquitur, unde fit inutilis. Hic uide quid utilitatis dei populo adferre possint, uniuersi hodierni Episcopi, & monachi, qui à Deo apostatarunt, & fidei sacri Baptismatis semper grauius abrenunciant, ueritatis sermonibus, corde obstinatissimo resistentes? Quia ergo inutiles facti sunt, ac fidei necessarios & amabiles fructus proferre non possunt, acerbos infidelitatis fructus proferant, necesse est.

Apostasia

Inutilis apostata.

Attende fructus. Graditur ore peruerso, ecce murmurationem, detractionem, maledicentiam, mendacia, figmenta, leges diuinis oppositas, & id genus cuncta. Etenim os illud peruersum est, quod non est rectum, simplex, uerum: Annuit oculis, terit pede, digito loquitur, ecce instabilitatem, morumq; lasciuiem. Nulla enim re aptius inconstantia designatur, quàm facili motu oculorum, pedum digitorumq;. Sunt quoque hi mores lasciuientis iuuentutis, ut oculis, pedibus, manibusq; petulantis animi stultitiam pandant. Prauo corde machinatur ma

Apostata est maledictus, instabilis et stultus.

Apostata malignus, hostisq; pacis & unionis.

lum, ecce malignitatem. Et omni tempore iurgia seminat, ecce pacis odium, unitatisq; et concordiæ inimicitias. Hic uides quales sint regni apostatici, id est, papistici fructus. Nempe murmurationes, detractiones, maledicentiæ, mēdacia, instabilitas, stultitia, malignitas, odium pacis, concordiæ, unionis, & similia queq;. Hæc impij illi Apostatæ ideo de uiris Euangelicis interpretantur, quòd eos intrepide reprehendant, arguantq;. Sed non uident, ut cæci sunt, tale esse consilium Dei atq; mandatum, ut regnum istud perditionis, quod sub Dei nomine sanctissimo se tātum in sublime extulit, quantum se per Dei uerbum adulteratum glorificauit, & in delitijs fuit, tantum per idem uerbum sanè interpretatum recipiat tormentum.

De calciamentis. Caput X.

SVperscindunt Minoritæ calciamenta, ea puto ratione, ut illa pro sandalijs habeant, iuxta illud Marc. 6. Calciatos pedes sandalijs. Verū illos obseruare oportuit, quod uniuersis uiris Apostolicis, id est, syncerís Euāgelistis, dum pro uerbi ministerio uarias percurrunt regiones, uerba hæc dicta sint: ut præ cunctis & calciamentorum & indumentorum, & omnium quæ ad corpus attinent superfluitatem uitent. Nunquid ipsi soli sunt Apostolici? Vtinam illis saltem eßent annumerati. Magnæ profecto temeritatis fuit, proprium facere, quod pro omnibus fuit institutum. Hinc suam mire fouent hypocrisin, dum solis pedibus se iactant Euangelicos.

De

DE OFFICIO (VT VOCANT) DIuino & ieiunio, & an equitare liceat. Caput XI.

Diuinum officium ex 3. regulæ capite, uocant seruare sanctæ Romanæ Ecclesiæ ordinē. Primum dicimus, omne opus quod in nomine domini fit, esse diuinum officium. Nam omne opus iustū ideo est diuinum, quod non à nobis, sed à Deo in nobis operante proficiscatur. Talia opera & officia habet sancta Romana ecclesia, non Papa cum toto regno suo (quos non Dei Ecclesiā sanctam, sed Synagogam apostatricem esse liquet) sed credentes uel pauci, quos Romæ esse confidimus. Diuinū autem officium esse dicunt, uociferari in choro, precularū, psalmorum, responsoriorum, lectionum, uersiculorum et reliquorum id genus, distinctum numerū submurmurare, quæ etiā pestilentissimi quicunque homines recitare possunt. At sancta Dei Ecclesia eas laudes & orationes pro diuino officio sacrisque laudibus cōputat, quas Christi spiritus in credentibus operatur, scilicet ut & spiritu & mēte Deo psallant, illumque precentur. Is quippe est uerus ordo sanctæ credentium Ecclesiæ, quæ Romæ uel ubicunque electi sunt, reperitur, quam & Minoritæ & uniuersi fideles obseruare tenentur. Quid diuinū officiū.

Faciant ergo omnes pariter officium secundum sanctæ Romanæ Ecclesiæ ordinem, id est, ut faciunt electi, qui sunt uel Romæ, uel ubi est uera Ecclesia CHRISTI,

sed

ſed non ſicut perditisſima ac confuſisſima Romaniſtarũ Babylon, quæ tantum ſubmurmurare, & in ſuis delubris latrare & ululare nouerunt, nihil interim ſynceræ fidei, ſynceriq; adfectus habentes. Quid enim tot uerborũ murmura Chriſti ſeruis conducunt, cum deſcenderit ille iuſtificatus, qui in fide tantum dixit? Deus propitius eſto mihi peccatori. Lucæ. 18. Breuem quoque orationem Chriſtus nos edocuit, dicens, Matth. 6. & Luc. 11. Sic ergo uos orabitis: Pater noſter &c. Multiloquium uero ꝓhibuit, dicens Mat. 6. Orantes, nolite multũ loqui, ſicut Ethnici faciunt. Putant enim, quòd in multiloquio ſuo exaudiantur. Nempe in multiloquio non deerit peccatum, Prouerb. 6. Hinc Saluator de ſcribis ait, Mar. 12. Qui deuorant domos uiduarum ſub obtentu prolixæ orationis, hi adcipient prolixius iudicium. Et Luc. 20. Qui deuorant domos uiduarum, ſimulantes longam orationem. Hi adcipient damnationem maiorem. Nouit enim, quòd oratio nunquam prolixa eſt ſine faſtidio, diſtractione uaria & ſimilibus. Quæcunque enim oratio non fit attente, & ex corde, ad multiloquium pertinet. Chriſtus factus in agonia, prolixius orabat. Luc. 22. Nunquid ergo errabimus, exemplo illius prolixe orantes? Nequaquã, ſi tamen illum imitamur. Sed quis poteſt imitari illum? Ipſe prolixe orauit, & uere, noſtra autem oratio, ſi longa eſt, non uera, ſed hypocritica & ſimulata eſt. Tales uero orationes, quia mendacia ſunt, odit Dominus. Nimirum cum ueritas ſit, hypocriſin & falſitatem amare non poteſt.

De orationis neceſſaria breuitate.

In oratiõe uitandum multiloquium.

potest. Nec his obstat, quod de intentionibus actuali, uirtuali, habituali Sophistæ stultissime commentantur. Vana etenim sunt, & à credentibus neutiquam recipienda. Deserant igitur multiloquium illud, qui Deo grati esse concupiscunt. Alioqui uiderint, ne contra Domini iussionem in carnis prudentia ambulantes, ab illo pro meritis repellantur. Namque non uult, ut in oratione multiloquium sit, sicut iam uidimus. Vult nos semper orare, id est, illi nunquam non adfici, sed multiloquium abominatur. Nec pro hac caussa Antichristi aut cuiusuis alterius, diplomate indigemus. CHRISTI enim uerbum super omnia diplomata est. Tempus, quod sub murmurandis preculis stulte conteres, magis studio diuinæ legis impende. CHRISTI nanque præceptum est illud Ioan. 5. Scrutamini scripturas, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. Idcirco nullus est, qui non ad id niti debeat, quantum potest, ut intelligat, quid scriptura de Christo testificetur. Quapropter eandem in uniuscuiusq; idioma trãsferri oporteret, & hæc tantum est populis quotidie inculcanda, ut Deum & dominũ nostrum IESVM Christum aliquando agnoscere possint. Per eam quidquid desyderamus à Domino, adsequi ualemus, nempe eruditionem, illuminationem, spiritus ardorem, pacem ueram, cõsolationem, corroborationem. Hinc Dauid sanctus psalmo. 18. Lex Domini immaculata conuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis: Iustitiæ domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini

Quid semper orare. Cõsiliũ obseruandũ.

Scriptura est trãsferenda in qdcunq; idioma.

mini lucidum, illuminans oculos. Timor domini sanctus permanet in sæculum sæculi: Iudicia domini uera, iustificata in semetipsa, desyderabilia super aurum & lapidem preciosum multum, & dulciora super mel & fauum. Lege & studiose meditare, quid de ea psalm. 118. scriptum sit, & mirabilia suprà quàm dici possit, inuenies. Linque, linque confidenter Romani & cuiusuis alterius Breuiarij usum, non ut torpeas, sed ut scripturis meditandis toto corde te dedas: Scriptum nanque est psal. 1. Beatus uir qui non abijt in consilio impiorum, & in uia peccatorũ non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit: sed in lege Domini uoluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Et Psalmo. 118. Beati, qui scrutantur testimonia eius. Habes demum uerbum terrendißimum Hieremiæ 48. Maledictus, qui facit opus DOMINI fraudulenter. Egregij Sophistæ opus DEI hoc loco ad templorum transferunt ululatus, cum de punitione Moabitarum, quos deleri uoluit Dominus, intelligatur. Hinc colligimus, quòd opus Dei est, quicquid ipse uult fieri. Sed quid uult Dominus? Nunquid murmura tua? Neutiquam, sed opera quæ à fide proficiscuntur, quæ Ioan. 6. DEI opera eße dicuntur. Hoc est, inquit, opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille, quo uerbo non tantum fides, sed quæcunq; illam sequuntur, id est, ex fide fiunt, intelligenda sunt.

Linquendus Breuiarij usus.

Maledictus qui facit opus dei fraudulenter.

Igitur quisquis dei opus fraudulenter agit, maledictus est. Illud fraudulenter agunt hypocritæ, qui opera quidem

dem Dei facere uidentur, dum psalmos, cantica, longasq; orationes, cantant uel submurmurant, sed fraudem admittũt, dum cultum ipsius Dei, nõ sicut ipse praecepit, sed secundum suas adinuentiones perficere uolunt. Sed uere inutiliter & sine caussa colunt Deum, secundum doctrinas & mandata hominum. Verbum enim suum Deus à nobis tantummodo exigit. Pares sunt Israëli claudicanti, qui existimauit Deum uitulorum & Baalim reprobo cultu uelle se coli, quiq; illo nolente sibi aedificauit excelsa. Sed quid dicit de uere conuersis? Oseae. 2. Et uocabit me uir meus, & non uocabit me ultra Baalim, id est, nõ existimabit me similem eidolis, nec eidolorum cultu me ultra stulte colet, sciens quod nihil talium quaeram. Verum hic locus subobscurior est, quàm ut paucis ualeat declarari, quem ideo nunc praeterimus, quòd à nobis in commentarijs in Oseam expositus sit.

Haec tibi de officio diuino, ut uocant, summa sit, quòd Deus non placatur psalmorum, aut aliorum quorumuis numero, prolixitate, cantu, nec aliquo externo, sed fide. Sit ergo parum, multum, cum cantu, sine cantu, altũ, submissum, in choro uel extra, in ciuitate uel agro, quid haec ad Dominum? Tantum quod in fide operamur, adceptat. Deniq; sicut Christianus non est liber uel seruus, Iudaeus uel Graecus, masculus aut foemina: sic nec opus illius est longum aut breue: huius horae uel diei magis, quàm alterius: nec in his externis est quouis modo situm. Sũma praedictorum.

Libet nunc reserare stolidum itemq; temerariũ Monachorum

nachorũ de præscripto officio papistico ac chori boatibus commentum. Chorum Dei uineam adpellant, in quo si quis plurimum ulularit, in uinea Domini eum fideliter laborasse adfirmant, etiam si aliunde lasciuus & impius sit. At non sic dum corpore sani sunt ululantes, dicunt negligenter, in uinea Domini operari, etiam si alioqui pijssimi fuerint. Errant cæci, errant, nescientes Dei uirtutem, neque legem, neque prophetas. Vinea Domini non chorus est, sed ecclesia sanctorum, in qua Dei laus est iugiter. Psalm. 149. Laus eius in ecclesia sanctorum. De ea quisquis est, dicit illud Psalm. 145. Lauda anima mea Dominum: Laudabo Dominum in uita mea: psallam DEO meo quàm diu fuero.

Quæ sit uinea Dei.

Audi Esaiam capite. 5. dicentem: Vinea Domini exercituum domus Israël est. Qui autem sunt ueri Israelitæ, nisi illud uerum semen Abrahæ, de quo Gene. 21. In Isaac uocabitur tibi semen? Quod Paulus Roman. 9. exponens dicit: Non omnes qui ex circuncisione sunt Israël, hi sunt Israelitæ: neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij: sed in Isaac uocabitur tibi semen, id est, non qui filij carnis, hi filij Dei, sed qui filij sunt promissionis, æstimãtur in semine. Hoc semen est Ecclesia CHRISTI, quæ non stultus ille boantium chorus est, uinea Domini, in qua uniuersos, qui saluari desyderant laborare oportet.

Laborat in uinea, q ex fide operatur.

Porro quidquid non est ex fide, extra uineam fit: quidquid autem in fide & nomine Christi operamur, pro labore uineæ computatur, Quia uero Dei spiritus opus

huius

huiusmodi in credentibus operatur, ideo opus dei est, qd' quisquis habet, in Dei uinea operatur, alioqui nunquam non ociosus est ab opere sancto, quantumcunque externe operosus uideatur.

Quod ad ieiunium attinet, breuibus adcipe. Quia neque ieiunia, neq; alia queuis opera Deo grata esse possunt, nisi illa CHRISTI spiritus in nobis libere operetur, ideo sola illa ieiunia Deo placent, quae in sancti spiritus libertate fiunt. Coacta autem ieiunia quid prosunt? Ieiunamus, inquiunt, sed tantum una refectione uorabũt, ut nunquam minus ieiunent, quàm dum se ieiunare autumant. Ieiunium Christianorum est temperate uiuere, non quòd diuersis horis sumendum foret totum uno prandio uorare. Nihil ad Christianum, quid Papa Antichristus, sed quid caput nostrum CHRISTVS uelit. Nouit ille figmentum nostrum: uidet, quid possimus. Deceptus fuisti per Monasticen, uouisti huius uel illius temporis ieiunia, noli expauescere. Si ieiunare non potes more papistico, ieiuna more Christiano, ut non uaces comessationibus & ebrietatibus, sed quacunque hora indiges, comede in nomine domini, temperantiae autem Christianae nũquam obliuiscaris. Etiam si non serues, quae olim deceptus promisisti: bonus est Dominus, qui nulli imputat, si dimittit, quod deceptus ante promisit. Deniq; uiris Euãgelicis praecipit dominus Luc. decimo: Manducate, quae apponuntur uobis. Hinc uides, quòd uiro Christiano, nõ licet recusare, carnes, oua, aut lacticinia, pro hypocritica ieiunij

De ieiunio

Stulta papistarum ieiunia.

Quid uerum ieiunium.

ca ieiunij papistici obseruatione.

Equitare Minoritis licet pro necessitate & infirmitate. Necessitatem maxime intellexeris, dum pro uerbi ministerio aliquis iumento indiget, quidquid stultissimi quidam homines commententur, dicentes, quòd melius sit minoritæ necessarium uerbi DEI ministerium dimittere, quàm equitare. Allegant enim, ut astuti sunt, quod ille uouit non equitare, prædicare autem non promisit. Insulsa prorsus, immo hæretica assertio est, ut nec quidem responsione digna sit.

Hæc olim sæpius in me subclamabant hypocritæ mendaces, quasi uotum execrabilis monastice derogare possit uoto Christianismi. Sed paulò ante diximus, id genus uotis fidelium neminem adstringi, quanto minus eos, quos Dominus ad uerbi sui ministerium uocat. Væ uobis hypocritæ & pharisæi, qui licatis culicem, & camelos uoratis.

DE PECVNIA NON RECIpienda CAput XII.

MInoritis præcipitur quarto cap. regulæ, quod nullo modo, denarios uel pecuniam, per se uel per interpositam personam recipiant. Graue præceptum, quod à nemine posit obseruari. Sed & quis unquam obseruauit illud? Quidquid stulte commententur Nicolaus & Clemens, Romani Nerones, omnes qui eorum

tum nomine pecunias recipiunt, interpositæ personæ sunt. Quod autem Antichristo rerum suarum tribuunt proprietatem, usum autem sibi reseruant, pallium hypocriticum est. Si receptio nude capitur, nullum est mandatum istud, quia diuinis eloquijs minime roboratur. Properantibus nanque ad ministerium uerbi CHRISTVS iubet Matthæi decimo: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis uestris. Et Marci sexto, Præcepit eis ne quid tollerent in uia, non peram, nō panem, neque in zona æs. Verum hæc receptionem haud quaquam prohibent, sed adfectum. Voluit enim Dominus, ut uerbi Dei ministri, in Euangelij labore perseuerātes, sic illi fiderent, ut superflua terrenorum solicitudine ab opere sancto neutiquam præpedirentur. Non uult eos habere peram, panem, argentum, aurum, pecuniam, humanæ scilicet prouidentiæ inniti, sed diuinæ. Thesaurizationem prohibet, non necessitatem. Ministros uerbi, ab his quibus Euangelium nunciant, uult enutriri, ideo illos ab infidelitate, & curiosa terrenorum solicitudine coercet.

Profecto quomodocunque se excusent, hypocrisimq; suam operiant. Pecuniam recipiunt per interpositam personam. Taceo de his, qui pro hac caussa Vicarios minime requirunt. Nonne pro his litigant, & processus innumeros habent? Quos non diuexant, ex his, qui cum eisdem negocium habent? Defunctorum legata medijs omnibus exigunt. Peccatum esse dicunt, talia

Recipiunt per interpositā personam pecuniam.

 præterire,

præterire, legantium animas alioqui graues (ut adfinxe-runt) purgatorij cruciatus, perpeßuras adfirmant. Mercatione illa Missarum detestabili, undequáque pecunias uenantur, quas illis suis patribus spiritualibus (ut uocāt) id est, hypocrisis eorum mediatoribus usque in diem suum seruandas committunt. Denarios coram se numerari præcipiunt, quos aliquando uel cultelli saltem acie euoluunt. Exituri in distantes prouincias, bursarium quempiam secum habent. Defunctorum tumulos aquis adspersuri, oblatas pecunias ab alijs pro se recipi deposcunt. Si quando reliquis numismata dantur, eis talia recipere, illicitum putant. Verum si bouem, porcum, uitulum, tritici quadrigam quis obtulerit, monasterio opportuna dicunt: absit ut talia reijciant. Si aureos aliquot forsan illis tradiderint, spondebunt etiam se eosdem in benefactorū catalogo descri pturos, ut eorum nomina in capitulis recitentur. Fraternitatis quoque & bonorum, quæ fiunt apud eos, si tamen aliqua sunt, participationis literas tradunt, scilicet hypocrisis suæ uigilantissimi institores. Attamē gloriosi isti pecuniæ contemptores interea se easdem licite non poße, aut recipere aut tangere, clamant.

Taceant, taceant, precor. Non se abnegent per se & per interpositam personam pecuniæ receptores. Confiteantur humiliter quod sunt, nec sibi arrogent impudenter, quod nec uel ad mensem tantum unquam obseruarūt.

Quòd omnes laborare oporteat.

caput

NOn tantum Minoritis, sed & uniuersis prorsus Christianis labor necessarius est. Nonne ad cunctos pertinet, quod Dominus Adæ dixit Gene. 3. In sudore uultus tui uesceris pane, donec reuertaris in terrã, de qua sumptus es? Ideo Paulus. 2. Thessa. 3. ait. Si quis non uult operari, nec manducet. Et paucis interiectis: Cum silentio operantes suum panem manducent. Et Ephesi. 4 Laboret, operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatẽ patienti. Hinc est, quod sancti omnes in primitiua Ecclesia laborabant. 1. Corin. 4. Laboramus, operantes manibus nostris. Nullus ergo à labore eximitur. Omnem Christianũ laborare oportet

Nunc uide, uel ex hoc loco, quã maledictum sit totum Regnum Antichristi, quod nunquam non est ociosum, et ignauia plenum. Quid enim facit ipse Papa? Nonne ad id semper nititur, ut corroboret impietates suas, thiaram suam, laruas suas, & omnem pompam suam, ac satanicam ambitionem? Diuendit merces suas, mendosas illas indulgentias, diplomata, priuilegia, maleficia, titulos, & reliqua id genus: putatq; se mutare posse & tempora & ætates. In quo demum laborant Cardinales illi rapaces, ac tenebrosæ illæ Episcoporum & omnium maleficorum umbræ. Nonne aduersus CHRISTVM, uerbumq; suum atq; electos suos, sine fœdere præliantur? Tota die Antichristi abominationes, ut possunt, corroborant. Regni Antichristi labores primũ papæ.

Venationibus, ludis, choreis, comeßationibus, ebrietatibus, omnigenæq; laſciuiæ ſe à mane in ueſperam effuſißime dedunt, falſiſſimis excommunicationibus, uenditione ſcortorum & Cynedorum, omnifàriaq; tyrannide, prouentus ſuos adaugent. Dicunt ſe id primum Deo promiſiße, ut Epiſcopatum, id eſt terrena, ſemper magis adaugeant. Sic enim, ut docti ſunt, ſuam promiſſionem interpretantur. Et ut ſunt præſtiti iuramenti, fideliſſimi obſeruatores, nolunt uel minimum quiddam, quod ad prouentum, & iuris dictionis augumentum adtineat præterire. At de paſcendis ouibus CHRISTI, ſic peruigiles ſunt, ut nunquam uel ſemel tãtum, illas, niſi rapacitatis gratia, uiſitare dignẽtur. Sic enim tenelli ſunt præclari iſti nebulones, ut uerbi ſancti neceſſario labore, eos impedire non liceat. Hi quaſi laruati quidam, ut magis tragœdiam excitent, lapides ungunt, campanas, & imagines benedicunt. Sed quis ſtultiſſimos iſtorum labores enumeret? Veh ueh uobis eidola mundi, & fæces orbis terræ, ab omnibus angulis etiam ſcopis reijciendæ.

Labores Monachorum.

Subcedit ut uideamus, in quo laborent Minoritæ, & reliqui monachi omnes. Quoniãquidem ex ipſis, omnes de regno Antichriſti ſunt, quicunq; illi aut conſentiunt, aut cooperantur. Nunquid labores manuum ſuarum mãducant, ut beati ſint? Nequaquam. Sed in delubris ſuis ululant, CHRISTVM quottidie ſacrificant (ut decepti loquuntur) & iterum crucifigunt, quod ſi aliquot diebus celebrare quis noluerit, mox impia de illo ſentient, et

iudicabunt.

iudicabunt. Ceremonias, inclinationes, manuum compli cationē, & similia prætermisisse, crimen inexpiabile est. Inuidere autem, & post ululatus chori, murmurare, detrahere, confratrem infamare, ociosos esse, et innumera id genus frequentare crimina, leuiculū quiddam putāt. Si tempus aduenit, quo saccos frumento & leguminibus impleant, utres, aut oleo, aut uino, & ut nihil prætereamus, quo aliquot uelleris talenta congregent, tunc discurrent laborabuntq;. Nec unum quidem dimittent angulū, à quo, si fieri potest, sua importuna mendicitate, non aliquid hauriant. Offerent ab Antichristo, sophisticæ remissionis & indulgētiæ dies quadraginta. Quod si nihil illis fuerit traditum, eosdem .40. dies in sinum suum conuerti dicunt. Habent enim ab eodem Antichristo dies .40. dum postulant, itemq; alios .40. qui sibi aliquid tradūt. Quod si nihil adceperint, augetur, ut aiunt, precium eorundem. Octoginta enim dies habēt. Mallent tamen saccos plenos habere, quàm dies mille.

Prædicare demū sine mercedis, et terreni lucri expectatiōe nō possūt soliciti institores isti, facetias quoq; suis pmiscēt conciōibus, quo mulierculæ ad largiora munera cōtribuēda adliciātur. Veh uobis perditis uerbi Dei adulteri. Vere nisi resipueritis, æternus uos īteritus manet.

Facetias concionibus miscent.

Vides labores Apostatici regni? Vides quàm ab omni bono ociosi sint? Minoritarum uero grauissimam cæcitatem, quis non admirabitur? Vt quid tantum mendicant? Quare non magis laborant etiam manibus suis, ut habe

ant unde uiuant? Nunquid Paulo maiores sunt? qui dicit. 2. Thes. 3. Ipse enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non inquieti fuimus inter uos neq; gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore & fatigatione, nocte ac die operãtes, ne quẽ uestrũ grauaremus.

Minoritæ ex labore uictũ quærere debẽt

Deniq; 5. capi. regulæ dicitur. Illi quib. dedit dominus gratiã laborãdi, laborẽt fideliter et deuote, ita qd' excluso animæ inimico, sanctæ orationis et deuotionis spiritũ non extinguant, cui debent cætera temporalia deseruire. De mercede uero laboris, pro se & suis fratribus, corporis necessaria recipiant. Et. S. Franciscus in suo testamento, ait. Ego manibus meis laboraui, & uolo laborare, & omnes alij fratres, firmiter uolo quod laborent, de laboritio, quod pertinet ad honestatem. Et qui nesciũt, discant, non propter cupiditatem lucri, sed propter bonum exemplum, & ad repellendam ociositatem. Et quando non dabitur nobis precium laboris, recurramus ad mensam domini petendo eleemosynam hostiatim.

Sex Minoritis præcipiũtur.

Ex his apertissime liquet, quod. S. Franciscus uoluit, quod Minoritæ, hæc sex obseruarent. Primum, quod omnem ociositatem diligentissime uitarent. Secundo, quod laborarent unusquisq; secundum facultatem suam, & proprium donum. Tertio, quod nescientes operari, discerẽt, ne ociose uiuerent. Quarto, quod de labore suo induantur, & uiuant: Quinto, quod si quis non uult eis laboris precium tradere, illud ab eis uiolenter exigere, aut cum eis litigare non possint. Vltimo, quod dum pro labore

bore precium illis non traditur, mendicent.

Nunquam ergo illis mendicare licet, nisi prius laboris precio abnegato. Laborent illi & Christiani omnes, & ex laboris sui precio uiuant, quod si non recipiunt, tunc licite mendicabunt. Neque enim cuipiam mendicare licet, nisi prius hæc duo aduenerint, primum solicitus labor, secundum recusatio precij eiusdem laboris, quod de sanis & laborare ualentibus intelligimus. Quando mēdicare liceat.

Nulli igitur Christiano, etiam Minoritæ licet mendicare, nisi prædicta interuenerint. Quod si ita est, non licet peregrinari aliorum impensis: neq; uisitare cognatos, ut Monachi faciunt, neque ad capitula proficisci. Si quis casu in uia existens in egestatem deciderit, & in locum proficiscitur, ubi laborare intendit, nihil dubitauerim, huic licitum esse, eleemosynam postulare. Determinata quippe laborandi uoluntas pro labore coram DOMINO computatur. Nō licet mendicari do peregrinari.

Ex his consequitur, stulta & illicita esse uota illa, quibus etiam aliqui diuites promittunt se mendicando Romā uel Hierosolymam profecturos. Quandoquidem rapina est nomine eleemosynæ hypocriticæ decorata. Præter id, quod uniuersis syncere credentibus est persuasissimum, uidelicet, quòd nemini licitum est, ad sanctorum properare sepulchra. Verum de his alio tractatu plenius (Christo dirigente) disputabimus. Stulta quorundā diuitum uota.

Quæ regulæ capite sexto tractantur, ex his quæ suprà capite sexto diximus, palàm fiunt. Quæ autem capite 7.

F 5 scilicet

(scilicet, De pœnitentia Minoritis peccantibus imponenda) librum proprium requirunt.

DE CAPITVLIS MINORITARVM

Caput. XIIII.

Oportuit, ut in eorum Capitulis, quæ ad Euangelij synceram obseruationem pertinent, diligentissime pertractarent. Verum nihil tale in eisdem unquam auditur. In eisdem, suas traditiones & præcepta multiplicant, quæ supra CHRISTI Euangelium uolunt obseruari. Sed ò Deus quam stultæ, immo perniciosæ constitutiones sæpenumero fiunt? Gloriātur omnia dirigi per Christi spiritum, sed quam aliena à Christo sint eorum consilia, incredibilis constitutorum instabilitas, satis superq; manifestat. Namq; de re eadem, hoc anno statuent, alio reuocabunt, sicq; multis annis facientes, semper statuent, reuocabunt, ut uix fixum quippiam maneat unquam. Illic raro nisi adulatores promouentur, ut præsideant cæteris. Si autem quispiam timens dominum, & zelotes præsidet, nunquam in pace à uiris impiissimis dimittetur, ita ut ex timentibus dominum uix ullus inueniatur, qui Monasteriorum regimen nisi coactissimus recipere uelit. Illic condemnant libros Euangelicos, tantū abest, ut ipsius Euangelij dilectores sint, sicut nuper apud regionem Prouintiæ in Turreto, de libris

Aliena sūt à Christo, monachorum instituta.

Martini

Martini Lutheri uiri Christianissimi, me præsente, fecerunt. Combusserunt nanque illos quasi hæreticos, cum nec prius quidem illos uel saltem à limine salutare uoluerunt. Etenim eos simul funibus adligatos, & prouinciæ eiusdem sigillo, ne à quopiã aperirentur, sigillatos, præceperunt, ad dictum Capitulum deferri, & eos combusserunt. Oportuerat certe prius eos legisse cum iudicio, sed nihil tale uolunt delicati isti hypocritæ. Sic calcant & perdunt incendiarij homines eloquia Dei. Sic damnãt cæci, quæ nullatenus capiunt. Hæc sunt præclara facta capitulorum, aut ut apertius loquar, Synagogarum perditionis. In eis quæ & quanta uiri Euangelici indies sustineant, non posset etiam multis quaternionibus patefieri. Illic nihil, quod ad Christianam attineat pietatem, syncere pertractant. Quo fit ut non Christianorum, sed hostium CHRISTI aduratissimorum capitula sint. Euerte, Domine, has Synagogas perditionis.

DE SACROSANCTO VERBI DEI ministerio.

CPVT XV.

NOno regulæ capite dicitur: Fratres non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum. Quæ uerba quisquis in ipsa regula posuit, non ueris Episcopis, sed ipsorum tãtum umbris, plurimum tribuere uidetur. Assentitq; illi permi-

perniciosissimæ consuetudini, qua ciuitates & oppida plurima, unius tyranni imperio subijciuntur. Hæc autem Episcopatus siue Dioceses uocant. Erratum quoq; illud inconsulte admittit, quo nullum ex Minoritis uult, intendere uerbi ministerio, præter eum, quem illorum generalis minister, examinarit, & ei prædicandi officium concesserit. Hic tria uidenda sunt, primum, qui sint ueri Episcopi, secundũ, ubi sint constituendi, tertium, à quibus constituendi.

Tria uidẽda.

Qui sint ueri Episcopi.

De primo, id palàm est, eos Episcopos eße, qui aduigilant, superintendunt & uisitant, Namq; ab Epi et scopin deriuatur quod est superintendere, uigilare seu uisitare. Ille ergo est uerus Ecclesiæ CHRISTI Episcopus. qui illam solicite uisitat, illiq; uigilanter super intendit, et pro accepto à Deo munere, eidem modis omnibus auxiliatur, quales sunt, omnes qui uerbum Domini syncere et fideliter administrant. Hi enim sunt presbyteri illi, et ijdẽ Episcopi, quos ubiq; esse oportuit, nõ ultimæ faeces orbis terræ, eorum qui nunc sunt, pictorum Episcoporum.

Idem Episcopi qui presbyteri & seniores.

Eosdem autem per seniores siue presbyteros, qui per Episcopos, debere intelligi, ex eo palam fit, quod Lucas. Actu. 20. de Paulo ait. A Mileto mittens Ephesum, uocauit maiores natu Ecclesiæ, qui cum uenissent ad eum, et simul essent, dixit eis. Vos scitis à prima die &c. Et uersibus aliquot interiectis. Attendite uobis & uniuerso gregi, in quo uos spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam adquisiuit sanguine suo. Vides, qđ

maiores

maiores natu siue presbyteros Ephesi omnes Episcopos uocat? Item ad Philip. in principio Paulus ac Timotheus serui IESV CHRISTI, omnibus sanctis in CHRISTO IESV, qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconis. Hic quoq; eiusdem urbis omnes Episcopos & Diaconos salutat. Per Episcopos autem Præsbyteros siue seniores indubie uult intelligi. Nam de pictis istis & mitratis hodiernis haudquaquam adcipi ualet. Stat ergo hæc Paulina & Euangelica sententia, omnes ueros & legitimos Ecclesiæ pastores atq; Euangelistas, seniores presbyterósue, & Episcopos esse, alios uero nequaquam. Quorum aliqui tam & si iuuenes ætate sint, non ideo minus presbyteri, id est, seniores dicuntur. Christianorum quippe senectus non in annis, sed in fidei puritate ac ueritatis cognitione, & amore computatur. Hinc dicitur Sapientiæ quarto: Senectus enim uenerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis uita immaculata.

Iam liquet ex præcedentibus, quid ad secundum respondere oporteat. Scilicet ubi sint Episcopi constituendi. Dum enim Ephesi & Philippis, plurimi erant, non dubium, quin iuxta populi necessitatem fuerant instituti, qui populis erudiendis sufficere possent. Ideo in unaquaque ciuitate, oppido siue pago, siue unus siue plures sunt instituendi Episcopi, qui plebi erudiendæ sufficiant. Alioqui illam salutarium Euangelij fluuiorum perniciosissima siti perire necesse est, sicut heu, tot sæculis perierunt, pereuntq;

In quolibet loco est ponēdus episcopus, & plures si opus est.

pereuntq́; etiam hodie propter Antichristianos illos Episcopos, qui haud secus atque Reges, plerisque ciuitatibus, oppidis, pagisq́;, simul tyrannice principantur, nihil interea quod ad Episcopum uerum attineat, facientes. Nã sacro sanctum idémque summe necessarium uerbi dei ministerium, quod ante omnia Episcopos exequi neceßum est, quóque nihil in Ecclesia sanctius, utilius, laudabiliúsque inueniri potest, superciliosæ illæ mundi laruæ, nihili ducunt, infimæ conditionis hominibus, monachis scilicet & sacellanis, ut plurimum conducticijs, illud committentes, qui pari sententia, quæ sua sunt, quærunt, non quæ IESV CHRISTI. Sibi autem (ut nihil sunt, nisi commenticium quiddam) unctionem parietum, fontium, campanarum, & reliqua id genus inuenta, perinde atq; quid excelsum reseruant. O idola cæca, ò lupi rapaces.

Igitur ubicunque populus est, Episcopus est instituendus, qui semper cum populo sit, eiusdem uigilans & sedulus director. Verum si populus multus est, tot sunt ad Episcopatum, ad uerbi scilicet ministerium eligẽdi, quot inhabitantis populi exigit multitudo, sicut in qualibet parochia unus. Quòd si aliquæ parochiæ maiores sunt, quã ut unus sufficere posit, diuidẽdæ sunt, demumq́; particuilib et unus parochus est præficiendus, qui pro uero Episcopo ab uniuersis habendus est. Breuiter, quos alij uocant pastores, alij plebanos, alij curatos, alij rectores, pro Episcopis habere oportet, quibus Apostolicum Euãgelizandi munus necessario incumbit. Quoniamquidem

nisi

nisi euangelizauerint, uęh illis est. Neque illis uti uicariorum ministerio licet, ut synagoga Antichristi hactenus fecit, sed tantū coadiutores habere possunt, pro Baptismi & mensæ Domini ministerio. Et dum aliô pro Ecclesiæ utilitate eos proficisci oportet, aut infirmantur, euangelizandi ministerium sacrosanctum, alijs ad id idoneis, per id tempus committere licet, sed non alioqui.

De tertio tandem aliquid tractare oportet, à quibus scilicet Episcopi sint constituendi, atque eligendi. Cuius ut plenam aßequamur intelligentiam, hæc per ordinem discutiemus. Primum quid Ecclesia. Secundum, ubi sit. Tertium, ad quos pertineat iudicare de doctrina, utrum uera, & ex Deo sit. Quartum quorum sit annunciare Euangelion CHRISTI. Quintum, à quibus aliqui sint uocandi ad munus apostolicum.

Pro primo, ECCLESIA uocabulum græcum est, & congregationem significat. Vnde quicunque in idem conueniunt, Ecclesia dici poßunt. Sunt autem duæ præcipue in toto orbe Ecclesiæ, prima Dei, secunda Satanæ. Prima uocatur credentium sanctorúmque Ecclesia. Secunda Ecclesia malignantium. De prima Psalmo centesimo quadragesimonono: Laus eius in Ecclesia sanctorum. De secunda Psalm. uigesimo quinto: Odiui Ecclesiam malignantium. Ex prima sunt omnes electi & prædestinati, inter quos est uera eiusdem spiritus communio, per quē idem uolunt, sapiunt & appetunt. Ex secunda sunt omnes reprobi, qui pariter unius uoti, desiderij, & sententiæ

Primum Ecclesia congregatio est.

sunt,

sunt, sed non in Spiritu sancto. Etenim uniuersi in hoc, conueniunt, quod quicquid uolunt, concupiscunt & sen tiunt, legi Dei contrarium est. Ex his iam paucis conclu de, quod Dei Ecclesia, est congregatio omnium prædesti natorum, qui in Spiritusancto uniti sunt. Malignantiũ au tem Satanæq; Ecclesia, est congregatio reproborum.

Ecclesia Dei.

Ecclesia Satanæ.

Secundũ.

Pro secundo. Quia Ecclesia Dei inuisibilis est, id est, quia illi qui ex illa sunt, non possunt à nobis singulariter agnosci, ut saltem sciamus, in quibus ciuitatibus & locis habitent & sint, à scripturis sanctis est requirendum. Scriptum est Esaiæ. 55. Sicut descendit imber & nix de cælo, & illuc ultra non reuertitur, sed inebriat terram & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen se= renti, & panem comedenti, sic erit uerbum quod egredi etur de ore meo. Non reuertetur ad me uacuum, sed fa= ciet quæcunq; uolui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud, In quibus uerbis duo sunt attendenda, primum uerbi Dei conditio, secundum eiusdem fructus. Conditio est, ut egrediatur ab ore Dei, hoc est, ut illius minister à suo Spiritu dirigatur, & non aliud neq; aliter prædicet, quàm sicut illum idem Spiritus docet. Qui tunc recte dei os dicitur, cum nõ sua, sed Dei eloquia profert. Quicũq; autem, etiam ipsa Dei uerba non per CHRISTI Spiri tum, sed in prudentia carnis anuntiant, Dei ora minime dici possunt. Verba quidem Dei sunt, uerum ab illius ore haudquaquam egrediuntur. Impossibile quoque est, ut eadem uerba syncere tractet, quem Spiritus sanctus non dirigit.

Quomodo capitur illud, uer= bum quod egreditur ab ore meo.

dirigit. Errare quippe eum necesse erit, cum animalis homo non percipiat ea, quæ sunt spiritus Dei. Stultitia e= nim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter ex aminatur primæ Corint. secundo. Hinc quoque eodem capite Apostolus ait: Nobis reuelauit Deus per spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim scit hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt, ne mo cognouit, nisi spiritus Dei.

Ergo si uerbum Dei annunciatum fuerit per spiritum CHRISTI, tunc nunquam absque fructu erit. Nimi= rum in electis proficiet, quod in præscripto Hieremiæ te xtu sub typo pluuiæ, niuis ac seminis fructificantis mani festissime ostenditur. Hoc præsupposito, concluditur, quòd si uerbum fuerit pure & syncere prædicatum, nun quam erit sine fructu, quem producit in electis & præde stinatis, qui sunt de Ecclesia Christi. Nam ubicunq; ta liter prædicatur, ibi sunt prædestinati & electi. Signum igitur certissimum, atque euidentissimum, quo potest co gnosci, ubi sit Ecclesia CHRISTI, est, si pura & sim plex sancti Euãgelij prædicatio ibidem fuerit. At qui sint eiusdem Ecclesiæ membra, specialiter determinare haud quaquam ualemus. Vbi autem Euangelio non sit locus, sed illius uice, hominum inuenta & traditiones ac man= data regnant & suscipiuntur, quantumcũq; plurimi ma gnã sanctitatis faciẽ habere uideantur, nulla prorsus cer ti tudo est, quin potius in dubio res est, an aliquis ibi sit, qui

Fructus uerbi Dei.

G ad

sunt, sed non in Spiritu sancto. Etenim uniuersi in hoc, conueniunt, quod quicquid uolunt, concupiscunt & sentiunt, legi Dei contrarium est. Ex his iam paucis conclude, quod Dei Ecclesia, est congregatio omnium prædestinatorum, qui in Spiritusancto uniti sunt. Malignantiū autem Satanæq; Ecclesia, est congregatio reproborum.

Ecclesia Dei. Ecclesia Satanæ.

Secundū. Pro secundo. Quia Ecclesia Dei inuisibilis est, id est, quia illi qui ex illa sunt, non possunt à nobis singulariter agnosci, ut saltem sciamus, in quibus ciuitatibus & locis habitent & sint, à scripturis sanctis est requirendum. Scriptum est Esaiæ. 55. Sicut descendit imber & nix de cælo, & illuc ultra non reuertitur, sed inebriat terram & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti, sic erit uerbum quod egredietur de ore meo. Non reuertetur ad me uacuum, sed faciet quæcunq; uolui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud, In quibus uerbis duo sunt attendenda, primum uerbi Dei conditio, secundum eiusdem fructus. Conditio est, ut egrediatur ab ore Dei, hoc est, ut illius minister à suo Spiritu dirigatur, & non aliud neq; aliter prædicet, quàm sicut illum idem Spiritus docet. Qui tunc recte dei os dicitur, cum nō sua, sed Dei eloquia profert. Quicunq; autem, etiam ipsa Dei uerba non per CHRISTI Spiritum, sed in prudentia carnis anuntiant, Dei ora minime dici possunt. Verba quidem Dei sunt, uerum ab illius ore haudquaquam egrediuntur. Impoßibile quoque est, ut eadem uerba syncere tractet, quem Spiritus sanctus non dirigit.

Quomodo capitur illud, uerbum quod egreditur ab ore meo.

dirigit. Errare quippe eum necesse erit, cum animalis homo non percipiat ea, quae sunt spiritus Dei. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur primae Corint. secundo. Hinc quoque eodem capite Apostolus ait: Nobis reuelauit Deus per spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim scit hominum, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita & quae Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei.

Ergo si uerbum Dei annunciatum fuerit per spiritum CHRISTI, tunc nunquam absque fructu erit. Nimirum in electis proficiet, quod in praescripto Hieremiae textu sub typo pluuiae, niuis ac seminis fructificantis manifestissime ostenditur. Hoc praesupposito, concluditur, quòd si uerbum fuerit pure & syncere praedicatum, nunquam erit sine fructu, quem producit in electis & praedestinatis, qui sunt de Ecclesia Christi. Nam ubicunq; taliter praedicatur, ibi sunt praedestinati & electi. Signum igitur certissimum, atque euidentissimum, quo potest cognosci, ubi sit Ecclesia CHRISTI, est, si pura & simplex sancti Euãgelij praedicatio ibidem fuerit. At qui sint eiusdem Ecclesiae membra, specialiter determinare haudquaquam ualemus. Vbi autem Euangelio non fit locus, sed illius uice, hominum inuenta & traditiones ac mandata regnant & suscipiuntur, quantumcũq; plurimi magnã sanctitatis faciẽ habere uideantur, nulla prorsus certitudo est, quin potius in dubio res est, an aliquis ibi sit, qui

Fructus uerbi Dei.

ad Ecclesiam CHRISTI adtineat. Hinc habes manifestissimum argumentum, quòd totum illud Antichristianũ & apostaticum Papæ regnum, quod solis hominum somnijs hæret, CHRISTI Ecclesia esse desijt, quamuis ementito titulo, se præ alijs Christi Ecclesiam esse glorietur. Quisquis ergo in hac sacrosancta Ecclesia adnumerari uoluerit, quantocyus à Papæ regno se diuidat, in quo non cunctis necessaria eloquia Dei, sed tantum stultæ illæ & gentilitiæ traditiones, ac pro eisdem miræ digladiationes continuo audiuntur.

Tertium. Pro tertio, sit ista conclusio. Ad ECCLESIAM credentium, quæ Christi spiritum, & per eundem uerum iudicium habet, adtinet iudicare de omni doctrina, utrũ ex Deo sit. Quod autem Ecclesia credentium Christi spiritum habeat, uel ex eo maxime palàm fit, quòd si non haberet eundem spiritum, Christi Ecclesia haud quaquã dici posset, iuxta illud Rom. 8. Si quis non habet spiritum Christi, hic non est eius. Ergo si quis non est Christi, non habet spiritum eius: & qui est Christi, illum habet, Ecclesia Christi habet spiritum eius. Omnis autem qui spectat ad Ecclesiã Antichristi, spiritũ Christi habere nõ potest.

Spiritualis est christi Ecclesia. Demum quisquis est de ECCLESIA Christi, spiritualis factus est per spiritum, quem habet. Spiritualis autem omnia dijudicat. 1. Corint. secundo. Vidimus quoque superius, quòd Dei tantum spiritus de diuinis, quale est uerbum Dei, iudicare potest. Iudicant autem de illo in sanctis & per sanctos, qui sunt de Ecclesia Dei. Ad

sanctos

sanctos ergo, ad ECCLESIAM scilicet credentium, attinet iudicare de omni doctrina, utrum uera atque ex DEO sit.

SALVATOR ait Ioan. decimo: Qui intrat per ostium, pastor est ouium. Huic ostiarius aperit, & oues uocem eius audiunt. Et proprias oues uocat nominatim & educit eas. Et cum proprias oues emiserit, ante eas uadit, & oues illum sequuntur, quia nouerunt uocem eius. Alienum autem non sequentur, sed diffugiunt ab eo, quia non nouerunt uocem alienorum. Et paulopost: Ego sum ostium ouium. Omnes quotquot ante me uenerunt fures sunt & latrones, sed non audierunt eos oues. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, seruabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Rursumque ibidem: Ego sum pastor ille bonus, & cognosco oues meas, & cognoscor à meis. Et iterum: Oues meæ uocem meam audiunt, & cognosco eas, & sequuntur me.

Ostium, oues, pastor, ostiarius, uox, pascua, quid.

Hic primum adnotaueris, quod ostium est CHRISTVS Deus & homo, oues fideles. Pastor primum Christus ipse, demum omnes synceri Euangelistæ, qui sunt (ut prædiximus) ueri Episcopi. Ostiarius spiritus sanctus, qui ueros pastores ad pascendas CHRISTI oues deducit. Vox & pascua eius, uerbum illius sacrosanctum. quo solo pascuntur, & uiuunt ueræ oues illius, Psalm. 78. & 99. Nos populus & oues pascuæ eius, id est, quæ pascimur suauiss. eloquijs eius. Introitus per ostiũ ad oues

CHRISTI pascendas, est uocatum in Christi nomine et fide, illius uerbo populum Dei fideliter erudire. Cognitio uocis, id est, uerbi, est discernere uerbum à uerbo, doctrinam à doctrina, atq; sic de illis iudicare, ut aliam audiant & recipiant: aliam uero damnent atq; deuitent. Item uox pastorum ab ouibus cognoscitur, dum placet: alienorum autem non cognoscitur, dum displicet.

Obserua deinde, q; hi alieni sunt, quos Saluator mercenarios eodem Ioan. capite. 10. uocat. Hi uel hoc tantū signo manifestissime cognoscuntur, quòd uocem, id est, doctrinam, à uero pastore dissimilem habent, quo fit, ut illius ouibus placere haud quaquam possint. Ecce, uides, quòd doctrinæ iudicium, CHRISTVS suis ouibus concedat. Hinc quoque est illud Ioan. 7. Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me: si quis uoluerit uoluntati eius obtemperare, cognoscet de doctrina mea, utrum ex Deo sit. En etiam uides, quòd Christus suarum concionum iudicium, suis ouibus tribuit. Solæ quippe illius oues uoluntati eius obtemperant, idcirco de eisdem uerba prædicta intelligi oportet. Nullibi uero in tota scriptura inuenies, quòd regno illi Apostatico papistarum hoc iudicium fuerit unquam conceßum, tametsi illud sibi impudentißime arroget, quin potius suis ouibus Christus præcipit, ut ab illis, haud secus atq; à lupis rapacissimis caueant. Mat. 7. dicens: Attendite à falsis prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: & 24. Videte ne quis uos seducat. Certe neq; ipsis

neq;

neq; etiam quibusuis doctoribus uerbi iudicium conceditur, nisi quatenus & ipsi Christi gratia oues esse possunt. Nanq; ouium est, pastores à lupis, Deiq; doctrinam ab hominum uanissimis traditionibus secernere. Ideo. 1. Thess. 5. Paulus ait: Omnia probate, quod bonum est tenete: & Roma. 16. Obsecro uos fratres, ut consideretis eos, qui dissidia & offendicula contra doctrinam, quam uos didicistis (nempe Euangelium Christi) gignunt, & declinetis ab illis. Nam qui eiusmodi sunt, Domino IESV Christo non seruiunt, sed suo uentri, & per blandiloquentiam & assentationem decipiunt corda simplicium. Itemq; Coll. 2. Videte ne quis sit, qui uos deprædetur per philosophiã & inanem deceptionem, iuxta constitutionem hominum, iuxta elementa mundi, & non iuxta Christum.

Liquet nunc ex prædictis apertissime, quàm uera sit prædicta conclusio, quòd scilicet doctrinæ uerbiq; iudiciũ ad fidelium communitatem, ubicunq; tandem illa fuerit, spectet. Et neq; id solum, uerum etiam sub æternæ salutis periculo, tenetur modis omnibus abrogare, diffugere, abominari, seq; diuidere ab alienis illis & mercenarijs, qui aliter sentiunt, quàm simplicißimus scripturæ sensus expostulet, docentq; non Dei uerbum, sed sua somnia atq; figmenta, quales sunt pseudoepiscopi, laruati scilicet illi, monachi quoq; ac impiæ Scholasticorum uniuersitates, & quidquid ad regnum Antichristi pertinet. Pro quarto, scilicet quorum sit annunciare Euangeliũ Christi. Eorũ profecto est, quos ille mittit, iuxta illud Rom. 10. Quo Quartũ.

 modo

modo prædicabunt nisi mittantur? Primum omnium hic est adnotandum, Illud Ioan. 6. Nullus potest uenire ad me, nisi pater, qui misit me traxerit eum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Est scriptum in prophetis. Et erunt omnes docti à Deo. Omnis ergo qui audiuit à patre & didicit, uenit ad me. Quid est uenire ad CHRISTVM, nisi in illum credere? Ad quem si nullus uenit: nisi à Deo eruditus, omnes qui ad eum per fidem ueniunt, sunt à Deo docti. Ideo (ut paulo ante diximus) sic spirituales fiunt, ut de omnibus, per Dei spiritum ualeant iudicare. Spiritus quippe sanctus, quemadmodũ discipulis Ioan. 16. Saluator promisit, omnem docet ueritatem.

Quid sit uenire ad Christum.

Quod autem eandem ueritatis cognitionem, mox qui crediderit habeat, patet Psal. 115. ubi dicitur. Credidi propter q̃d locutus sũ. Quid uero locutus sit, subiungit. Ego dixi in excessu meo &c. Verum hæc, non nisi prius cognita nunciauit. Traxit illum primum Deus, ut crederet, credentem mox erudiuit, eruditus tandem quod agnouit pronunciat. Hinc Paulus. 1. Cor. 2. Nos uero non spiritum mundi adcepimus, sed spiritum qui est ex Deo, ut sciamus quæ à Christo donata sint nobis, quæ & loquimur. Deniq; Christo dicitur illud Psal. 44. Vnxit te Deus deus tuus, oleo leticiæ, præ consortibus tuis. Qui sunt hi consortes, nisi credentes, qui membra illius atq; fratres sunt? quorum ipse primogenitus esse dignatus est, qui omnes spiritu sancto uncti sunt, sed præ illis omnibus ipse dominus IESVS CHRISTVS, cum quo omnes in sacerdotes

Per fidem cognitio habetur.

dotes consecrati sunt. Apoca. 5. Fecisti nos Deo nostro reges & sacerdotes, & regnabimus super terram. Et 1. Petri. 2. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus qui in lucrum adcessit, ut uirtutes prædicetis, illius qui è tenebris uos uocauit in admirabilem suam lucem. Ecce quod uniuersos credentes erudiuit Deus, suoq; spiritu, in sacerdotes cum CHRISTO unxit & consecrauit. Et id quidem non ob aliud, quàm ut Dei gloriam adnũcient. Hinc est quod Dauid sanctus, Psal. 50. posteaquam precatus est, ut sibi salutaris leticia redderetur, ac sancto spiritu confirmaretur, adiecit. Docebo iniquos uias tuas, & impij ad te cõuertentur. Quandoquidem uniuersis credentibus Euãgelizandi incumbit necessitas, dum uocãtur à domino, atq; mittũtur. Hoc autem fit dupliciter, primum, sola uocatione Dei interna, secundo à communitate fidelium. Primum est, in loco ubi nulla est ueritatis cognitio. Tunc enim fidelis, qui ueritatẽ agnouit, nulla externa uocatione opus habet, ut quod nouit pronũciet, sed mox uisa necessitate simul et oportunitate, ignorantes erudire tenetur. Sic Stephanus et Philippus ille Diaconus, Acto. 7. et. 8. & Apollo Iudæus. Acto. 18. nõ missi ab Apostolis Christũ prædicabãt. Secũdum est, ĩ loco ubi plurimi sũt Christiani, q prædicandi auctoritatẽ habent. Tũc ut secundũ Pauli consiliũ. 1. Cor. 14. omnia decẽter, et secũdum ordinẽ fiant, unus uel plures secundũ populi necessitatẽ eligẽdi sunt, q reliquorũ omniũ partes exequãtur, et hoc ẽ quĩtũ qđ hoc capite tractãdum erat.

Quomodo quis uocetur aut mittatur.

G 4 Ecclesia

Quintum

Ecclesia ergo credentium, eos qui uices cæterorum gerant, eligere & uocare debet, qui munus hoc apostoli cum exequantur, ut alius nullus præter casum necessitatis ad id se ingerat. Est autem necessitas, cum aliquis à ueritate aberrare, aperte conspicitur. Tunc enim, etiam in media fidelium turba, licet ei qui ueritatem intelligit, exurgere, & eandem ueritatem docere, etiamsi non sit uocatus ab hominibus. Immo eiusdem ānunciandæ, tunc sibi incunbit necessitas. Alioqui error cui non obsistitur, sibi imputaretur. alius autem, qui à ueritate lapsus est, ei qui ueritatem loquitur cedere debet, etiam si alias infimæ conditionis extiterit. Id quod Paulus .1. Corin. 14. præcipit, dicens: Si quid sedenti reuelatum fuerit, taceat prior. Hæc aūt ita fieri oportet, ut obseruata modestia Christiana, neq; tumultus, neq; seditio exoriantur. Nempe talibus Christianos sic adsuefieri oportuerat, ut non in scandalum uerteretur, si quis eum qui publice docet, à ueritate labentem, modeste corripuerit.

Ius habet credentiū ecclesia, ut aliquos uocet ad uerbi ministerium.

Ergo multitudinis credentium est uocare, eos, qui Euangelizandi prouinciam subeant, Imo & reuocandi iam uocatos, si ita conducere uisum fuerit. Neq; huic sententiæ obstat, quod Paulus Timotheo atq; Tito, ut presbyteros constituerent, imposuit, quod etiam itidem Paulus cum Barnaba fecisse leguntur. Acto. 14. Nullum enim cōstituerūt, nisi ab Ecclesia ante probatum atq; laudatum, ut primum fidelium testimonio, dignus uerbi ministerio haberetur, deniq; ab ipsis confirmaretur. Tunc enim

oportuit

portuit aliquot esse, quales erant Apostoli, qui nascentis Ecclesiæ directores essent. Nunc autem non sic, cum omnes æquales esse necessum sit, alioqui alij in alios se erigent, & tyrannidem, sicut hodie fit, exercebunt. Neq; egemus Papa, neq; Archiepiscopis, neq; episcopis, neq; ministris generalibus aut prouincialibus, neq; alijs huiusmodi laruis, & fæcibus orbis, ut quispiam in his ministerijs confirmetur, sufficit enim, quod omnes uncti & sacerdotes sint, uocati autem ad uerbi ministerium, aut à solo Deo, aut à communitate fidelium, quorum est in spiritusancto, & adprobare & infirmare quos uocauerũt.

Ex prædictis omnibus patet, quàm aliena sint à uerbo Dei, quæcunq; in regula Minoritarum, capite nono scripta sunt. Paulo copiosius, de nonnullis, ad Episcoporum uocationem pertinentibus, libello de fidelium uocatione egimus. Ideo illum petat, qui in eiusmodi scripta nostra plenius cupit.

DE INSVLSISSIMIS REGVLAE distinctionibus. Caput XVI.

OPortet (ut tandem concludamus) nonnihil de stolidis eiusdem regulæ partitionibus comminisci. Namq; tam à Clemente quinto, quàm ab alijs, diuisa est in præcepta, æquipollentia præceptis, uim præcepti habentia, uota, admonitiones, libertates, ut ferè omnibus clausulis aliquod istorum præscriptum sit. Porrò si diligenter inspexeris, satanam mire illis fuisse

illusum, cognosces apertissime. Quod uel à regulæ principio notum faciemus. Illi loco: Regula & uita fratrum Minorum hæc est: Domini nostri IESV CHRISTI sanctum Euangelium obseruare, nihil adiunxerunt, quasi nihil ad eos pertineret, plerisque autem humanis figmentis, uel præceptū uel præcepto æquipollens, aut uim præcepti habens, præscripserunt, qualia sunt hæc: Fratres teneantur fratri Francisco, & eius successoribus obedire, capi. 1. Postea concedunt eis pannos probationis, uidelicet duas tunicas sine caputio, & cingulū & brachas, & caparonem usq; ad cingulum &c. Finito uero anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes uitam istam semper & regulam obseruare. Et nullo modo licebit eis, de ista religione exire, iuxta mandatum domini Papæ &c. Et illi qui iam promiserunt obedientiam, habeant unam tunicam cum caputio, & aliam sine caputio, qui uoluerint habere, cap. 2. Clerici faciant diuinum officium, secundum ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, &c. Et ieiunent à festo omnium sanctorum &c. cap. 3. Et sic de similibus, quæ per regulam sparsim inuenies. At diuinis & eisdem necessarijs præceptis, Scholasticorum errore decepti, tantum admonitionem siue exhortationem anteposuerunt, qualia sunt hæc: Ne despiciant neque iudicēt homines, quos uiderint mollibus uestimentis & coloratis indutos, uti cibis & potibus delicatis &c. cap. te. 2. Non litigent neque contendant uerbis, neque alios iudicent, sed sint mites, pacifici & modesti, mansueti & humiles

Diuinis humana ante ponunt.

De præceptis admonitiões fecerunt.

miles, &c. ca. 3. Ipsi uero ministri &c. ca. 7. in prædicatione quam faciunt, sint examinata, & casta eorum eloquia &c. ca. 9. Ministri uero charitatiue & benigne eos recipiant &c. Caueant ab omni superbia, uana gloria, inuidia, auaricia, cura et solicitudine huius seculi, detractione & murmuratione. Super omnia desiderare debent, habere spiritum Domini & sanctam eius operationem &c. Diligite inimicos uestros, & orate pro persequentibus & calumniantibus uos. ca. 10. Non abnego istorum quibusdam, à regulæ conditore, exhortādi uerbum fuisse adiunctum, sicut ca. 2. Moneo & exhortor, ne despiciant neq; iudicent &c. Verum non ideo admonitiones sunt. Etenim neq; de diuinis mandatis exhortationes & consilia, neq; de consilijs & admonitionibus eiusdem, præcepta homo facere potest. Nunquid dum Euāgelizans quispiam dicit, Moneo uos, ut obseruetis præcepta Dei, ideo præcepta admonitiones fecit, quod uerbum admonētis adiunxit? Stulte ergo Minoritarum regula, tam à Clemente quàm ab alijs tam multifarie distincta fuit.

Vnum in summa, est præceptum, quod nec dum Minoritas, sed et Christianos omnes custodire necessū est, nēpe obseruare uerbum Dei Euangeliū sanctum. Nemo huic præcepto quippiam addat. Quid diuinis & cœlestibus eloquijs, humana et carnalia adijciuntur? Quippe sat est credentibus, Dei habere sermonē. Est enim uiuus, & efficax omniq; gladio ancipiti penetrabilior. Itaq; attēdēdū nobis est, ut nō epulemur, in fermēto ueteri humanarum traditionum, Vnū præceptū necessariū.

traditionum, ne q; in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & ueritatis.

DE FRIGIDISSIMIS CONSTITUTIONIBUS eorundem, ac mendosis quibusdam reuelationibus. Caput XVII.

Esset forsan tolerabile, aut saltem non tam damnabile, si præter regulam, ferè infinitæ constitutiones, non ponerentur. Quoniamquidem Minoritarum regula est, statutis eorundem, ab Euangelij simplicitate paulò minus aliena. Semper enim statuta statutis adiungunt, quæ nunquam obseruant. Fabricant sibi leges stolidissimas, quasi propria eidola, sacrosanctæ uero legis Dei obliuiscuntur. Sua dehinc quottidie inculcant, quæ uero ad Deum pertinent, nec semel quidem, in annis 40. exponunt. Non ab Euangelio neque à regula fluxit, q; habitus coloris cinericij habent, chordáque cinguntur, sed à suis inuentis, & pleraque id genus: uerum de his iã aliqua suprà cap. 14. tractauimus. Veh impijs hominibus istis, qui sine caussa Deum colunt, sua tantum inuenta docentes atque sequentes. Profectò, etiam si nulla alia ratio foret, ob id tantum Monastice prorsus annullanda est, quòd non Dei uerbo, sed humanis tantum inuentionibus hæreat. Volunt tamen uideri atque haberi Euangelici, perfecti, obseruantes, cum nihil minus Euangelio diligant. Et ut sua perfectiora esse iactitent, confictis reuelationibus,

tionibus, eadem confirmare nituntur. Omissis autem com pluribus, de septem tantum priuilegijs, quae beato Francisco reuelata fuisse adfirmant, non nihil tractabimus.

Primum, quo Minoritarum numerus augeretur, eo melius & abundantius, eis prouideretur.

Secundum, quòd in eorum habitu nemo possit male mori.

Tertiũ, quòd in die festi sui omnes animas suorum fratrum, & amicorum ac benefactorum ordinis eiusdem, à purgatorio liberaret.

Quartum, quòd suus ordo durabit usq; ad iudicium.

Quintum, quod nullus in ordine male uiuens, poterit in eo diu perseuerare.

Sextum, quòd hostes sui ordinis, dies suos uix poterũt dimidiare, sed breui peßime morientur.

Septimum, quod amici ordinis quantumcunq; impij sint, tandem misericordiam consequentur, & uitam concludent fine beato.

Horum quodlibet, sicut ipsi tradũt, intellectum impium est, quia non potest stare cum Euangelio sancto. Primum quidem impietas, itemq; falsitas, eo manifestior est, quo non nisi per hypocrisin, & ut decipiant homines, instituta est ab eis, & ideo uera eße non potest. Praesupponit item, q Minoritarum conditio sancta, & secundum Euangelium sit, q ita se habere nullus sanae mentis adfirmat. Verum hac de re satis iam disputatũ est. Deniq; uniuersis credentibus dictum est, Mat. 6. Ne soliciti sitis ani

Primum

mae

me uestræ, quid manducetis, neque corpori uestro, quid induamini, & ibidem multa. Idem habes Luc. duodecimo. Quod si necessariorum prouisio uniuersis credentibus promittitur, quid est quod Minoritæ sibi præ alijs id reuelatū fuisse mentiuntur? Siquidem aut infideles sunt, aut credē tes. Si credentes, uerbum Dei immaculatum illis sufficit. Luc. decimo sexto: Habent Mosen & Prophetas, audiāt illos. Si increduli, profecto nihil efficiet reuelatio quæcunq;, etiam si ob id ex mortuis quispiam resurgeret. Lu. decimo sexto. Si Mosen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Multiplicentur ergo illi quantum uoluerint, uiderint tamen, ne forsan sibi terrena pro eorum multitudine haud quaquam administrentur. Quandoquidem à monastices hypocrisi intelligentibus, nihil adcipient, & uix à reliquis, nisi per mēdacium & hypocrisin. Veh uobis hypocritæ cæci, qui priuilegia uobis per somnia uestra confingitis, & ea quæ omnibus conueniunt, uobis solis impudentissime adrogatis. Nempe priuilegium lex priuata est. Est ne hæc lex uestra priuata, quod uobis solis prouideat Deus? Nonne ille omnibus prouidet? Aut fortaßis de illo sentitis, quod circa excelsos uestros cardines perambulet? nec nostra cō sideret? Stultum ergo, immo detestabile, & ideo nullum est priuilegium istud, quod se à DOMINO adcepisse iactitant.

Secundum & tertiū. Secundum autem & tertium priuilegia, quàm impia sint, quis non uidet? In habitu, inquiunt, nostro nemo perit,

rit, & sanctus Franciscus in die natalis sui omnes nostri ordinis fratres, amicos & benefactores à purgatorio liberat. Mentiris, quicunque talia adseueras. Namque quis tam insipiens est, ut per externum corporis operimentum, se credat posse saluari? Heu quot sæculis excæcati fuimus, non animaduertentes, quòd hæc diaboli perniciosissima erant inuenta. Sed dies nondum aduenerãt, quibus hæc reuelanda erant. Profectò ab his erroris spiritibus ea ratione seducti fuimus, quod sacro sancta ueritatis eloquia non toto corde diliximus. Veh cæcis illis, qui lucentem in tenebris ueritatem, apprehendere nolũt. Hunc sibi scopum constituunt, ut cellam uinariam repleant, ut frumento, lana, oleo, ac cæteris, quæ caro expostulat, abundent. Propterea totos dies absumunt, ob id hominibus adulantur. Circuncursant per alienas ædes, & quantum sub sanctissimo DEI nomine uiduas & simplices decipiant, eorúmque substantiam uorent, nullus unquam satis enarrarit. Præscripta cunctis annunciant priuilegia, ut facilius à mulierculis adsequantur, quo impleant manticam suam, quo farciant uentrem suum. O uere reproba animalia uentris, & uenenata reptilia terræ.

Indoctæ uero plebes, quas impij illi, CHRISTI fidem haud quaquam erudiunt, dum talia sibi inculcantur, nihil negligunt, nulli rei parcunt. Optant enim preciosam electorum mortem, optant à purgatorij cruciatibus (quos non dubium est, à patre mendacij fuiße adfictos,

Indoctas plebes seducunt.

adfictos,

adfictos, saltem post mortem, cum nulli sint) liberari.
Ideo quaecunque possident, illis abunde partiuntur. Hinc est, quod illi quotidie splendide epulantur, nouas domos aedificant, ampliantq;. Hinc sibi ab Antichristo priuilegia adcumulant, quibus nec Deo, nec hominibus, sed soli suo Antichristo subijci uolunt.

Non sufficit demiq; eis, quod à Deo se adcepisse mentiantur, quod nullus in eorum habitu pereat, nisi etiam addiderint, quod qui in eo sepeliuntur, tertiae partis omnium peccatorum remissionem consequantur. Vides haeresis impietatem? Remißionem peccatorum, quam, uelit, nolit, Antichristus, per solum nomen CHRISTI adcipiunt, quotquot credunt in eum, dicunt eos adsequi, qui in eorum pelle ouina moriuntur. O callidarum uulpium impietatem, quae tot exquisitis mendacijs, simplicium animos, à Dei eloquiorum synceritate dissoluunt.

Enimuero si cuncta illorum studia perspicis, ad terrenorum tantum congregationem, ea tendere deprehendes. Si in eorum habitu nullus perit, cur non omnes Minoritae fiunt? Sufficit enim ille habitus, ut salui fiant. Sufficit, ut Minoritas ament illisq; benefaciant, ut à FICTO PVRGATORIO liberentur. Oportet, ut literas participationis habeant, quas non aliter obtinebunt, nisi prius magnis & multis benefactis, atq; muneribus, eas promereantur. Sic enim preciosa sunt, horum sanctorum hypocritarum opera, ut non nisi magnis impensis, atq; multo aere, eorum particeps eße poßis.

Quae studia eorũ.

Placet

Placet de hoc ultimo, quod uniuersis prioribus minus est, paulo plusculum disputare, ut ex hoc minore animaduertas, quid de maioribus illis dijudices. Ne dum Minoritæ, sed & uniuersæ Monachorum sectæ, in hunc literarum participationis deciderunt errorem, non uidentes, quod electorum qui inter eos sunt actis felicibus hi communicant, qui sanctorum communionem habent. Namq́; omnium timentium Deum & illius mandata custodientium, participes sunt. Psal. 118. At forsan aliquod bonum habent, quod per literas suas detestabili mercatione diuendant. Habent quidem, sed ficticium & sophisticum tantum. Dilatant philacteria sua, quasi aliquod excelsum numen, nempe ieiunia, uigilias, sudores, frigidissimas preculas, peregrinationes, disciplinas, & huiuscemodi splendidas facies, quasi aliquid eßent, cũ nihil sint, nisi ipsißima hypocrisis.

O præclari Papæ Antichristi filij, morumq́; illius atq́; actorum imitatores uigilantißimi. Adinuenit ille eidolum indulgentiarum, per quod multis seculis innumeros decepit incautos, & quasi alter Iheroboam, per uitulos illos atq́; membranas, uoluit ut credant se saluos fieri posse, modo argenteos siue aureos aliquot, in arcam nummariam contulerint, facitq́; se thesaurorum Ecclesiæ nugacem distributorem, sedens in Dei templo tanquam Deus, & Ecclesiæ caput, cum nec pes quidem sit, tantum abest ut caput dici poßit. Adinuenerunt & isti, suos uitulos, suas pelles & bullas, quibus uniuersum penè orbem decipi- Idolum indulgentiarum.

 ant,

ant, quas præcipuis benefactoribus (ut uocant) suis, tantummodo tradant, & si quis aliquas habere uoluerit, prius eorum beneficentiam preciosis muneribus experiatur oportet.

Petrus Acto. 4. dicit, præter CHRISTVM non esse aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri. Et Antichristus ille, cum suis satellitibus, dicunt. Saluabimini per literas nostras. Mendaces profecto estis, & populorum impijssimi seductores. Sed increpet Deus in te, bestia Antichriste, itidem & in filijs tuis, & uos sui aduentus illustratione euertat, penetrabilissimoq; oris sui gladio interficiat, Amen.

Noui quid respondeant. Saluat (inquiunt) omnes CHRISTVS, uerum nostris literis atq; suffragijs multo easdem suscipientibus auxilio sumus. Ideo necessum est, ut primum Deo fidant, Secundo autem loco, literis atque suffragijs nostris. Stulta quippe, & sacrilega responsio est. Nam quantum humanis inuentis quis tribuit, tantum diuinis adimit institutis. Huc pertinet, quod filij Israël, Deum pariter & idola coluerunt. Sopho. 1. Adorant super tecta militiam cæli, & adorant & iurant in domino, & iurant in Melchon. Porrò hunc cultum non suscipit Deus. Vult enim solus adorari, atq; ut sibi tantummodo fidant. Propterea ibidem subiungit, Auertuntur de post tergũ domini, & non quæsierunt dominum, nec inuestigauerunt eum.

Obserua.

Vides

Vides quod à Deo sint auersi, qui alij quàm ipsi fidūt? Sed hæc uerba ideo prœterimus, quod in nostris in Sophoniam commentarijs, abunde exposita sint. Ergo, in se solo, uult nos habere fidutiam, & ut omnis aliena fidutia reijciatur. Sileat (ait Zacha. capi. 2.) omnis caro, à facie domini. Et Abacuc. 2. Sileat à facie eius, omnis terra. Facies Dei præsentia illius est, aliquo miserationis effectu palàm facta. Hanc concupiscebat faciem, qui saluari desiderans aiebat: Psal. 79. Ostende faciem tuam, & salui erimus. Facies hæc, quam uidentes saluamur, est uerbum incarnatū, quam uidet, quisquis illi credit, illiusq; uerba fidelißime suscipit, unde & saluatur.

Deniq; quicquid non est per Dei uerbum institutum, terra & caro est, qualis est idololatria illa indulgentiarum, aut literæ participationum quorumuis Monachorum, quæ Dei uerbo haud quaquam roborantur. Sileant ergo hæc, à facie domini, à maiestate uerbi illius. Sileant hominum quæcunq; inuenta, quæ reuera caro & terra sunt. Non sibi adrogent, putidißima stercora hæc, quod saluent, neq; quod ad salutem auxilio sint, cum semper ad interitum tendant, Vnus est qui iustificat, & saluos facit credentes in se, CHRISTVS, Deus noster. Is solus nobis sufficit. Non recipit secum, alium aut saluatorem, aut dominum. Non uult gloriam suam alteri dare, Esaiæ quadragesimosecundo, & quadragesimo octauo, ergo nec eidolo Romano, nec bullis suis, nec impijs literis suffragiorum, quarumuis sectarum. Sed neq; nos poßumus

duobus dominis seruire. Non possumus Deo seruire & mammonæ Lucæ decimosexto. Vnum tantū suscipit, cor nostrum. Si Deum habet, alium non admittit, cui simul & Deo fidat. Coangustatum est enim stratum, ita ut alter decidat, & pallium breue, utrunq; operire non potest.

Hæc de tribus primis falsißimis priuilegijs, ut quàm temeraria sint, cunctis palàm fiat, dixisse sufficiat, nunc de reliquis quatuor, uel breuiter nonnihil agamus.

Quartum quod allegant se habere, suum scilicet ordinem usq; ad iudicium permansurum. Ego quidem illud uerum esse abnegauerim, quod probare nō possunt. Dies namq; uenient, & initium iam maximum habent, quo uniuersæ sectarum facies dißipabuntur. Quandoquidem ex diametro pugnant, aduersum impolluta eloquia Dei, quæ omnia uincunt, maxime autem omnium, eiusmodi sibi obpositissima. Ipsa uero eloquia uincere, impoßibile est. Verū si quod fieri non potest, id illis donaretur, quid obsecro magnum foret? Certum namq; est, quod cū Gog & Magog gente execrabili, ad quos certe nonnihil spectant, in sempiterna incendia tandem conijcerentur.

Quintum. Quintum, quod nullus male uiuens, poterit in eorum ordine diu perseuerare, diaboli esse inuentum, ex eo maxime notum fit, quod hi potissimum inter eos permanēt, & eorum consentiunt uanißimis institutis, quos insatiabilis undequaq; mendicatorum rapacitas, hypocrisis, inuidiæ, rixæ, contentiones, & reliqua id genus, crimina inficiunt.

Duo

Duo autem illa, quae ultimo sunt posita loco, quis dubitat à patre mendacij, & filijs eius, qui semper dicunt, adfer, adfer, inuenta fuisse, & id quidem non alia ratione, quàm ut simplicium animos, à Christianae fidei puritate dissoluant, & ad suae sectae, amorem ac beneficentiam prouocent? Quid enī est dicere, nō dimidiabit quis, dies suos, nisi dilexerit nos, nisi quod eos qui nolunt cito mori, eorum sectam diligant neceßе sit? Quid demum est illud, Omnes amici nostri quantumcunq; impij tandem misericordiam consequentur, & uitam foelici exitu claudent, nisi quod omnes impij, qui cupiunt tandem à domino misericordiam consequi, eorum amici & benefactores sint oportet? At tam impiae, ac supra modum horrendae sunt eiusmodi inuentiones, ut responsionem haudquaquam promereantur. Talia sunt haec priuilegia quales et sectae, idest, ficta, nugatia, superba, ac nihil ueritatis & pietatis habentia. Sextum & septimum.

Quis mihi det ut pacem & unionem Israël, id est, credentium uideam? ut solum Dei uerbum regnet in singulis? ut nulla priuilegia, his demptis quae CHRISTVS nobis adquisiuit, desideremus? Etenim credentibus, haec sola satis superq; sunt. Quis sacrosanctae ECCLESIAE CHRISTI id tribuat, ut nullae amplius in ea sectae inueniantur? ut unanimes post CHRISTVM currant omnes gentes? ut non sit amplius qui dicat. Ego Dominici, ego Benedicti, ego Francisci, ego huius uel illius, sed cuncti eadem professione dicant. Ego Christi? Cōclusio.

Nihil dubitauerim hos nostros Commentarios, pluribus acerbiores futuros, Verum ista me nihil mouēt, quod solis pharisæis atque illorum fautoribus scandalo erunt. Cæci enim sunt, & ideo agnoscere ueritatem haudquaquam possunt. Opto autem eos tales, per CHRISTI misericordiam fieri, ut CHRISTI Euangelij amabilis ueritas, illis gratissima sit.

Nolo fauere impijs, & quærentibus libertatem in occasionem carnis, sed quemadmodum Theologus Christianissimus Martinus Lutherus, suo per quam erudito tractatu, De uotis Monasticis, captiuis & miserrimis ac discruciatis omnium ferè Monachorum conscientijs, pacis & salutis consilia tribuit, sic ego Minoritarum, quorum pericula, summamq; tyrannidem & captiuitatem sum expertus, saluti, specialiter consulere uolui.

Deniq; eorundem uariæ, sexus utriusq; sectæ, quia sua hypocrisi & inuentis, uniuersum orbem præ reliquis seduxerunt, conueniens fuit, ut quæ apud eos impia ac uerbo Dei aduersaria sunt, speciali libello reserarentur. Quod non aliter fecimus, quàm per Euangelium CHRISTI, quod illi abnegare non possunt. Quandoquidem illud (ut aiunt) professi sunt, illud ergo suscipiant oportet. Ideo, si uolunt permanere in Monasterijs, non nisi salua Euangelij libertate, permittendi sunt. Quod si ita fieret, ac uerbi Dei, uitæq; Euangelicæ, scholæ, eadem monasteria essent, profecto res foret longe fœlicissima. Tunc opus esset, ut nullæ regulæ, nullæq; hominum traditiones

susci-

ſciperentur · Syncerum Dei uerbum illis regula eßet perpetua · Quæcunq; autem externa, cum nihil faciant ad rem Chriſtianam, ſic libera eßent, quod ſi quis Monaſterium, & habitum mutare & deſerere uoluerit, libertate, quam ſibi CHRISTVS adquiſiuit, minime priuaretur · Enimuero tunc futurum eßet, ut ab ea Euangelica palæſtra exeuntes, uix unquã conuerſationis Euangelicæ obliuiſcerentur, eſſentq; ſynceriores Chriſtiani, quod uniuerſis neceßarium eſt, ut ſalutem con
ſequantur æternam, credentes in CHRI-
STVM, & omnia facientes in nomine
illius · Cui cũ patre & ſpirituſancto,
ſit honor, gloria, decus, & impe-
rium, in ſecula ſeculo-
rum AMEN ·

*

* *

FRANCI-

SCVS LAMB. AVEN. INVTILIS IE-
SV Christi seruus, uniuersis utriusq; sexus mona-
chis, Gratia, & pax, ac sanum consilium, in
spiritu sancto, à Deo Patre nostro, & Do-
mino nostro IESV Christo.

VEre admirabilis & gloriosus est Deus in cunctis, quicquid impiæ carni alioqui uideatur. Iudicat enim de omnibus in diuersum, quòd cæca & mendax sit, rectumq; ac sanum iudicium habere non poßit. Proinde nunc de nostris longè felicißimis diebus, putat, quòd quæcunq; ab eis aliquando minime uisa, Deo prouidente, nunc aguntur, et adseruntur, sint errores, figmenta, somnia, perditiões. Impoßibile nanq; est, ut quæ Dei sunt noscat, amet, amplectatur. Quorsum hæc diximus, nisi ut uobis palàm faciamus, quid caußæ est, cur cælesti ueritati denuo reuelatæ, complures obstinatis animis contradicant. Nimirum id omnium uel multo maxime est in causa, quòd alieni sunt à Dei spiritu, & caro in eis regnat. Nam si æterni spiritus iudicium haberent, omni solicitudine ueritatis Dei syncerißimam intelligentiam, super aurum & lapidem preciosum multum, ac omnem huius sæculi gloriam & copiam exquirerent, omnem autem mundi sapientiam, & quæ-

cunque

cunque inuenta hominum calcarent, ac uelut stercora arbitrarentur. Donaret quoq; illis sanctus ipse spiritus, ut nedum in rebus conditis, sed etiam in uarietate ac mutatione seculorum, excæcatione illorum, rursumq; eorum illustratione, & absconditorum olim dogmatum innouatione ac restauratione, atque ut paulo apertius rem ipsam contingamus, etiam in Sanctorum Dei priscis erroribus, eisq; nihil obsistentibus, illorum ex fide seruatione, Deum superadmirabilem agnoscerent.

Ecce quòd à principio Deus uoluit, q; homo uerbo suo regeretur, cui non adquiescens Adam, mortem cum omni sua posteritate incurrit. Magis enim debuerat adquiescere iußioni Domini, quàm mendacio serpentis. Mox Deus mundo reddidit, æternum, desyderabilem, inuictum, omniaq; uincentem sermonem suum, quem homo abiecerat, & uoluit, ut homo seruaretur, uiuens in fide seminis illius, per quod serpentis caput conterendum erat. Nihil autem postposuit Satan, ut irritus fieret Dei sermo. Lege Dei scripta, & uidebis. Proinde ipsum uerbum in tempus absconditum fuit, & id quidem sæpius, sed rursum & semper, tempore à Deo præfinito, palàm facta est ueritas eius, præsertim Christo in carnem adparente, qui prædicauit unam legem, unam cunctorum fidelium regulam, omnem externorum fiduciam ostendens sibi eße abominabilem, & interdicens uniuersas perditionis sectas. Docuit enim & iußit à cunctis ouibus suis, purißime audiri & seruari uerbum eius, uitariq; diligentißime, uoces

 alienorum

alienorum. Ioã. 10. Et Paulus arguit schismatis, omnes qui sectas amant, cuiusmodi sunt abominationes monastices. Omnes enim dicunt: Ego Petri, ego Benedicti, ego Francisci, & suum quiq; Idolum adsumpserunt. Quòd si adserũt se etiam dicere: Ego Christi, dicimus Corinthios idem fecisse, & tamen à Paulo durius carpuntur, eo q. etiam dicerent: Ego Pauli, ego Cephæ, ego Apollo. Proinde si una est fidelium regula, & eadem sufficientißima, uerbũ Dei, & si sola Christi uox est audienda, alienorum autem uoces abijciendæ, profectò omnes sectæ perdendæ sunt, sicut in superiore libro latè patet. Hæc fuit caußa, propter quam & sectæ faciei, & cunctis filij perditi iußis ac decretis abrenunciauimus, Domino compellente. Omnibus enim renunciandum est, Dei causa, ut diximus. Adhortamur ergo uos in Domino, ut idem faciatis, q. Christo, & sectis simul hærere nemo poßit. Nolite tamen, ut multi, abiecto cucullo, quærere libertatem in carnis occasionem, sed ut liberius inseruiatis Domino IESV Christo, à quo sit cunctis plena ueritatis cognitio et amor, ut omnes sitis filij æternæ ueritatis. Gratia Domini nostri IESV Christi, cum spiritu uestro fratres. AMEN.

EIVSDEM CANTICVM VNVM, PRO liberatione sua, tam à sectis, quàm à mendaci Antichristi cœlibatu.

AByßus impenetrabilis sunt iudicia tua Domine, quæ fecisti in uniuersa terra.

Excæca-

Excæcasti nos olim, nūc illustrasti nos, dum tot seculis abscondita, Verbi tui mysteria reuelasti.

Reprobus enim carnis sensus, super impolluta eloquia tua efferre se uoluit, propterea à luce ueritatis tuæ omnes excidimus.

Ambulauimus in tenebris & umbra mortis, & amabile cæli lumen uidere non ualebamus.

Absconditus erat sub his tenebris, perditionis filius, & quod peccati homo eßet, absq; tuo lumine, cognoscere non ualebamus.

Erexerat enim se in Ecclesiæ tuæ caput & sponsum, & quod tuam in toto orbe uicem gereret, impudenter gloriabatur.

Sedit multis annis in templis tuis, tanquam Deus, creditus à fidelibus uicarius tuus.

Contorserat enim uerbum tuum in sensum alienum, ut confirmaret abhominationes suas.

Adcreuere per eum tot sectæ perditionis, ut nihil feré reliquum fidei in terra reliquerint.

Est in eis firmamentum hypocrisis & mendacij, alienum à te, qui ueritatem semper diligis.

Inuexit quoq; hostis ille tuus, in orbem terræ omnem libidinē, et uere ideo aberrauimus plusquā omnes gentes.

Adfinxit in regno suo castitatis mendacium, ut facilius omnes à te faceret alienos.

Hæc tum non uidebam, cum cæcus essem, tametsi non nihil pij adfectus, in cor aberrantis semper immittebas.

Faciebas

Faciebas, ut mihi non placerent Sophiſtarum argutiæ, quantumlibet illis intenderem, à quibus ſumma orbis cæcitas profluxit.

Cæcus ergo impegi, heu, in ſcopulum, & confractus ſum, quoniam ſectarum impietati cohæſi.

Factus ſum hypocrita, miſer, alienus à te, oblitus ueræ fiduciæ in nomen tuum ſanctißimum.

Adhærebam paleæ, luto, & ſtercori, uidelicet, operibus non ex fide, & hominum inuentis.

Obſeruans dicebar, putredo & uermis, qui nec iota quidem legis tuæ ex ſpiritu cuſtodiui unquam.

Superbus admodum, Minor tum adpellabar, laſciuiens per licentiam, in glorioſis illis nominibus atq; titulis.

At miſertus es mei tandem, quoniam ſeduxerat me homo, nominis tui excelſi terrorem obijciens.

Excitaſti illos contra me uehementer, ut me pro zelo, & ueritate tua, annis multis perſequerentur.

Proinde cum non eßet mihi inter eos pax, in uerbo tuo ab illis me abire iußiſti.

Intruſeras me in ſepulchrum eorum, & eduxiſti me, ut annunciem populis tuis gloriam tuam.

Tu mox oſtendiſti mihi peccati hominem, quem nondum aperte cognoueram.

Ideo nũc Domine in te glorior, q, in duobus potißime ſcandalum me feceris, regno huius filij perditionis.

Vnum, q, præcepiſti, ut abijcerem ſectæ faciem & hypocriſim, alterum, q, mihi adiutorium dederis ſimile mihi.

malum

Malum quippe est, hominem eße solum, propter quod uoluisti, ut solus essem.

Caro damnat factum istud, quod non intelligit, sed ueritas sermonum tuorum manet in secula.

Erudimini exemplo meo seducti omnes, & abijcite Antichristi iugum execrabile.

Exite propere de medio Babylonis, ne cum ea uos disperire contingat.

Egredimini cito à regno impietatis, & Papam Antichristum eße, sit quisque certißimus.

Alioqui Domini IESV ueritatem nullus intelliget, quam mox, ut Papam negarit, adsequetur.

Summe enim sibi aduersantur Papa & Christus, ut utrique seruire nemo poßit.

Tunc magnificabitis nomen Domini mecum, & exaltabitis ueritatem eius in sempiternum.

Benedictus Dominus, qui notam fecit nobis ueritatem suam, & non amouit misericordiam suam à me.

EIVSDEM ALIVD CANTICVM CONTRA sectas, earumq́; ocium et hypocrisim, ac rapacem mendicitatem.

DEus pacis Domine, sicut unus es, ita uis, ut credentes sint unum in Christo tuo.

Vnus spiritus, una fides, una profeßio, & in te est spes nostra unica.

Vnam

Vnam posuisti fidelium regulam sermonem tuum, praeter quam non nisi impietas & insania.

Dedisti populo tuo ducem unum Christum tuum, ut omnia in eius nomine fierent.

Surrexerunt autem seducti plures, & sectas introduxerunt in Ecclesiam tuam.

Apposuerunt fiduciam inuentis suis, & alieni facti sunt à uerbo tuo.

Longè facti sunt à uerbo pacis, unde inter eos nunquam pax uera fuit.

uere: nisi in te Deus non est pax, & extra te non nisi d. ßidia.

Torquentur hypocrisi & inuidia, & ocio soluuntur tota die.

Castitatem uouent, quam nunquam seruant, nam eorum tantum est, qui donum à te habent.

Vruntur hypocritae, uruntur semper, & in foeminarum concupiscentia uiuunt.

Hypocrisim eorũ summe odis, q̃ ueritatẽ diligas semp.

Iußisti, ut in sudore uescamur pane, hi nepharium putant, si operentur.

Labores enim hominum fugiunt, & seruis tuis non administrant.

Vt homini pareant, tibi renunciant, propterea tibi sunt abominabiles.

Ocio eorum iuncta est quotidiana detractio, praeter odium ueritatis & immunditias, omnigenamq; malitiam.

Poßident

Poßident ex eis plurimi diuitias orbis, quas neglecta pietate undelibet congregant.

Alij boatibus, murmure, & hypocrisi, omnes decipiunt, & populos fallaci mendicitate exhauriunt.

Nunc miserere Ecclesiæ tuæ Deus, & ab ea pelle omne mendacium.

Da omnibus spiritum ueritatis tuæ, ut omnes hominum traditiones, perinde atq; stercora arbitrentur.

Fac, ut abijciant rapacem mendicitatem, & ne auferant pauperum substantiam.

Da illis, ocij, hypocriseos, & omnis immunditiæ odium, ut uiuant secundum eloquia tua.

Dele sectas uniuersas, & redde unitatem, ut sit omnibus eadem regula, Verbum sanctum tuum.

Et sequamur pariter toto corde unigenitũ tuum, ut sit & Dux & Doctor omnium ipse solus.

Aufer ab orbe ementitam castitatem, & redde suum decorem coniugio sancto.

Da cunctis ueritatis amorem, æterna ueritas, ut nullus amodo inhæreat mendacio.

Congrega sub pastore uno dispersos omnes, ut ab uniuersis sanctificetur nomen tuum.

F I N I S.

Argentorati, Anno M. D. XXV.
Mense Maio.